This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

133
Er. 1 F

DE ASTROLOGIA DIVINATRICE EPISTOLAE D. THOMAE ERASTI,

IAM OLIM ab eodem ad diuerſos ſcriptæ, & in duos libros digeſtæ, ac nunc demum in gratiam ueritatis ſtudioſorum in lucem æditæ, opera & ſtudio

IOANNIS IACOBI GRYNAEI.

fortuna nimis plurimis largitur nemini satis



Origenes.

Si quis ueſtrûm Mathematicorum deliramēta ſectatur, in terra Chaldæorum eſt. Si quis natiuitatis diem ſupputat, & uarijs horarum momentorumq; rationibus credens hoc dogma ſuſcipit, quia ſtellæ taliter ac taliter figuratæ faciunt homines luxurioſos, adulteros, caſtos, aut certè quodcunq; eorum, in terra Chaldæorum eſt. Iam quidam exiſtimant ex aſtrorum curſibus Chriſtianos fieri, &c. Hom. 3. *in Ierem.*

BASILEÆ,
PER PETRVM PERNAM.
M. D. LXXX.

[redacted]

Digitized by Google

CANDIDO LECTORI,

S. P. D.

IOHAN. IACOBVS GRYNAEVS.

QVemadmodum non ſolùm Magiſtratus virum indicat, ſed etiam magiſtratum vir, vt laudatiſſimus ille Thebanorum dux Epaminondas olim dicebat: ita non tãtùm Diſputatio erudita virum eruditum oſtendit, uerum etiã Diſputator ſubtilis, Diſputationẽ, cuius finis eſt ueri cognitio. Quod enim de Gubernatoris Politici animo cognoſcendo, Sophocles in ſua Antigone prudenter uereq; monuit:

ἀμήχανον δὲ παντὸς ἀνδρὸς ἐκμαθεῖν
ψυχήν τε καὶ φρόνημα, καὶ γνώμην, πρὶν ἂν
ἀρχαῖς τε καὶ νόμοισιν ἐντριβὴς φανῇ:

id nos de homine, opinione noſtra, ſeueriore quadam & ſolida doctrina præſtãte, & ad eruditã placidãq; de vtilibus rebus συμφιλολογίαν egregiè inſtructo, quando calculi cognitionem prauertere non debet, prius teſtari nõ poſſumus, quã multis & illuſtribus ſpeciminibus exhibitis ſe εὖ διαλέγεσθαι, vt Plato dicere ſolebat, reipſa cõprobauerit.

Tantiſper enim, donec eius ordinis hominibus uiſum eſt φαινοπροσωπεῖν & ingenij vires & opes modeſtè diſſimulare, cũ τὸ, λάθε βιώσας, à uitæ ratione ad ſtudiorũ inſtitutum reuocent: de ea qua pollent diſſerendi in vtramq; partem facultate, deq; eorum συνέσει καὶ τῇ γνώμῃ in rerum dijudicatione & æſtimatione, ſpectatores non magis quàm de abſcõdito theſauro, diuinando pronunciare poſſunt.

At ubi, propter rerum varietatem, hominumq; imperitorum καὶ ἀντιλογικῶν turbam, veri falſiq; cenſurã, paleſtræ & olei rem eſſe, ac diſputatione, tanquã veritatis cribro (ſententia nobiliſſimi genere & doctrina viri Ioan. Pici) ſibi uetilandã, & ab opinionum commẽtitiarũ quiſquilijs purgandã perſuaſum habentes, in theatrũ et phrõtiſteriũ, præſidijs eruditæ doctrinæ uelut armis inſtructi, progrediuntur, veritatiſq; inueſtigandæ & tuendæ ſtudio, primas haſtas argumentorum probabilium initiò iactant, reſpondentis tentandi cauſſa: ſermonẽ interim tam ζητητικὸν q̃ διηγητικὸν prudenter inſtituũt, ſic ut oratio cum rebus ipſis creſcat & cõſentiat, nihil habens ἐξαγώνιον καὶ ἀσύστατον: deinde demonſtrationum ſignis in medium agmen opinionũ illatis, adhibitiſq; κριτηρίοις minimè fallentibus, illas fundunt & in fugam uertunt, vt ſolæ uictrici ueritati locus ſit: deniq; cũ, iux-

ta prouerbiū, adſciſcūt ad extremum ſcientiam & eas artes, ad quas confugiendum eſt, cū veritas periclitatur, eoq́; extremis ingenij viribus vtendum, tum demum, quæ ipſorum in diſſerendo virtus & dexteritas ſit, res ipſa docet: ſecundum illud Pindari in Nemeis dictum:
ἐν δὲ πείρᾳ τέλος διαφαίνεται, ὧν τις ἐξοχότερος γένηται

In tanta autem ſeculi noſtri licentia, opinionum confuſione, & altercationū de rebus ſacris & profanis turba, ſæpenumerò animū meū ſubijt cogitatio, de Stentorum quorundā ταῖς παραδιατριβαῖς *riſu'ne illæ nobis, an verò gemitu planctuq́; proſequendæ ſint?*

Cū enim ἰσχυρογνώμονες *iſti verè* ἐμμενετικοὶ τῇ δόξα, *vt Ariſt. ſcribit, vel ſint* ἰδιογνώμονες, *uel* ἀμαθεῖς, *vtriq; ſuam fabulam ſic ſaltāt in proſcenio publico, vt non poſſit non in mentem venire ſpectatorib. eruditis illud Horatianum:*

Spectatum admiſſi riſum teneatis amici.

Vtriq; enim Moriæ faſcino occæcati, ſe ſolos ſapere, cæteros autem oēs vmbrarū more circumuolitare opinantur. Priores illi, opinionū ſuarum πλάσματα, *haud ſecus ac ſimiæ turpiſſimos ſuos catulos, mirantur, alijs oſtentant & obtrudunt, ab omnibus velut è tripode prolata in pretio haberi volunt: eos qui ea* συνεχῶς *expendunt, tanquam vngues in vlcere auerſantur: cōtradicentes, cane peius et angue oderūt. Poſteriores, canina facundia & Sophiſtica armati, vt cū eruditis paria facere videātur, Logica quædā inſtrumēta adhibere conātur, vt, ſi Deo placet, diſputatores ſubtiles & exercitati uideantur. Vtriq; panopliæ abuſu, imperitiæ videlicet ſuæ* τεκμηρίῳ *ſeſe doctis deridēdos propinant. Ad diſputandū enim perinde inſtructi accedunt, ut Therſitem aliquem, armorū quæ* ἀμυντήρια καὶ φυλακτήρια *Græci vocant, vſum confundentem, parmam à tergo geſtātem, thoracem capiti, enſem iugulo, cheirothecas tibijs adhibentem, & in lancea aduerſus hoſtem tanquam in arundine longa equitantem, repræſentēt, & vt* μορμολύττειν *rerum imperitos videantur.*

Iam verò cum Panico apparatui, uelitationum & pugnæ ratio reſpondet, lepidusq́; Andabata, clauſis quidem oculis, ſed gladiatorio animo ad eum quem ſibi oppugnandum duxit, viam affectat, & vel illud Homericum dicere videtur:

δεῦρ᾽ ἄγε πειρηθήτω, ἐπεί μ᾽ ἐχολώσατε λίην,
ἢ πύξ, ἠὲ πάλῃ, ἢ καὶ ποσίν, οὔ τι μεγαίρω,

resq́; ad ſummum veniſſe, & vt vulgò dicere ſolemus, in acie nouacu

læ iam

læ, tã periclitari videtur, tum verò rationum & argumentorum perduelles, conuitiorum ſputo, exprobrationum ſordibus, dirarum imprecationum veneno, velut œſtro quodam perciti, ſic debacchãtur in aduerſarium, vt etiam theſeos ſuæ obliti, palmarium facinus eſſe putent, ſic pingere, immò verius deformare hominem, ut putetur eſſe monſtrum, horrendum, informe, ingens, cui lumen ademtũ, quod ignem ſpiret. Ex poteſtate tunc exiſſe illos non immeritò dicas, cum interim ipſi omnium plauſu ſe dignos cenſeant.

Fortaſſis minus mali (ſi ſcandalũ publicũ et quidẽ nocentiſſimũ excipias.) in eo fuerit, ſi cum Bitho Bachius congrediatur, habeantq́ſimiles labra lactucas. Nam & Mandrabuli more res illis Mirmillonibus inter ſe rixantibus ſuccedit, vt multæ huius ætatis θυμομαχίαι καὶ λογομαχίαι *teſtantur, & bonis doctisq́ viris, nonnihil reſpirãdi, & ea* ὧν δεῖ παιπόλαι *in lucẽ producẽdi, & exponẽdi facultas interim conceditur. Sed enim illud modis omnibus dolendum et deplorandum eſt, Harmoſtas iſtos, ſecundum veterem verſum:*

κακὸς κακῷ γὰρ συντέτηκεν ἡδονῇ, *vt diligenter ſibi ipſis, hoc eſt, uẽtri & culinæ ſuæ conſulant, ſyncretiſmo iungi, & occupatis Midarum quorundam auribus & animis, ſumma cum impudentia & contentione bellum inferre viris doctis, quibus tamẽ hoc vnum cordi eſt, vt in omni genere doctrinæ veritas quæratur & illuſtretur. Quid autẽ in hac illorum* ἐριομαχίᾳ καὶ ἀλλοσκοπίᾳ, *iſtis qui pro tuenda veritate laborãt, oppreſſis futurum ſit, cordati homines nõ obſcurè animaduertunt: ipſe equidem nolim malè ominari.*

Verùm omiſſis ijs, qui pro Hierophantis Sycophantas agunt, nec niſi Cyclopum more omnia & facere et dicere conſueuerunt, ſuaq́ intẽperie non ſolùm barbariem, ſed etiam Religionis ueræ corruptelas, niſi Deus pro immenſa ſua bonitate auertat iſta mala, reuocaturi ſunt: quantum ijs debeamus, qui collatis argumentis placidè inquirunt ueritatem, eamq́, ut ſunt candidæ Muſarum ianuæ, publici boni ergò ſic profitẽtur, vt ſint δᾳδοῦχοι *et duces boni, qui & comites reddunt bonos, ſic ut gratos memoresq́ decet ingenuè fateamur.*

Qui in diſputationibus ſerijs, utilia & neceſſaria argumẽta ſic tractãt, ut ἀλήθεια τῶν λόγων *perſpicuè declaretur: nec quærũt uictoriam multoq́ minus applauſum hominum, ſed vt alicubi grauiſſimè monet Auguſtinus, bonum rectum, & verum duplici beneficio veritatis ſtudioſos afficiũt. Nam, & rerũ pulcerrimarũ & vtiliſſimarũ Methodicas*

dicas expoſitiones ſubminiſtrando, iudicium in multis ſtudioſis hominibus informant, & eruditionẽ augent & confirmãt: & illuſtribus diſputationum vtiliſsimarum exemplis, vſum Logices totius oſtendũt, quaq́ ratione & uia aliæ res tractando uelut è tenebris in lucem producendæ, quo ordine, quo etiam orationis genere nobis vtendum ſit, oſtendunt.

Vt etiã in tota virorum bonorum uita virtutum pulcerrimarum viuæ & expreſſæ imagines, non liberali ſolùm voluptati, ſed etiã magno vſui ſunt ijs, qui amabili donorum Spiritus ſancti ſpectaculo delectantur: ſic in bonorum & doctorum diſputationibus iucundum & utile eſt φιλαληθείας, *candoris, modeſtiæ, diligẽtiæ & aliarũ virtutum egregia documenta intueri, mirari, imitari.*

Inter cæteras autem Diſputatoris ingenioſi virtutes, neutiquam poſtremo loco illa, quæ, vt citra contumeliam ab alijs in parte aliqua doctrinæ communis diſſentiamus, efficit, mihi numeranda videtur.

Etenim cum eius τῆς διαφωνίας *multæ ſint cauſſæ, eaq́ partim genio & ingenio, partem inſtitutioni, partim alijs cauſsis acceptæ ferendæ ſint: æquiſsimum fuerit æterni ſapientiſsimiq́ Numinis exemplo,* τροποφορεῖν *& hominum infirmitati nõnulla benignè tribuere. Is cuius ingenium* στάσιμον *eſt, non poterit per omnia paria facere cum eo, cuius* εὐφυὲς *ingenium eſt. Videmus quoſdã minimo ferè negocio res apprehendere, dijudicare, ad vſum transferre, memoria non item excellere. Alios contrà magno ſtudio ægrè parta, fideliter retinere. Et cum intelligamus res, perinde vt ſucceſsione temporis fiunt, hoc eſt, non ſimul omneis, ſed vnam poſt aliã: ne mirum videatur, ſi proportione quadam inſtitutio noſtra intelligentiæ reſpondeat.*

Præceptorũ ingenijs, ſic quidam (occulta ingeniorum conſpiratione moti) delectantur, vt nunquam non illis ſatisfaciat illud Pythagoricum: αὐτὸς ἔφα. *Et hac quidem in re tanto minus eſt periculi, quo magis aliena fuit ab omni fuco, ſophiſtica & impoſtura Præceptoris illius inſtitutio. Humanitatis etiã fuerit, uariè occupatis uiris, ut maximè præcipuis ſolidæ doctrinæ præſidijs inſtructi ſint, non eandem, quã requirimus in ijs qui philoſophico ocio abundant,* ἀκρίβειαν, *in omnibus doctrinæ membris, exigere. Præcocia eſſe Melanchthonis ſcripta, M. Nizolium dicere ſolitum accepimus. Certum tamen eſt virum illũ opt. & eruditiſsimum, in ſumma ocij penuria, ea doctrinæ tum ſacræ tum profanæ capita expoſuiſſe, quæ ſi hic uel attigiſſet, æquior forſan*

illius

illius ſtudijs fuiſſet. Aliàs diſſenſionum cauſſas, eo nomine non probo, quia culpa non vacant. Sunt qui præiudicij, cuius fons eſt προσωποληψία, faſcino ita dementati ſunt, vt nullum planè locum dent aliorum fideli admonitioni & poſterioribus curis, quæ tamen meliores ſunt. Horum placitis ſi λόγον καὶ πεῖραν, indubitata ſanè κριτήρια, cũ Galeno opponas, cum nullo modo de opinionis ſemel conceptæ poſſeſſione ſeſe deijci patiantur, ne iacturam faciant doctrinæ magno vt uidetur labore partæ, non magis profeceris, quàm ſi hydropico aquæ, ſi ebrioſo vini vſum potumq́; diſſuadeas. Alij natura ἐριστικοί, Sectarum ſtudio delectatur, de quibus admodum ſcitè Galenus dicit: οὕτως ἄρα δυσαπότριπτόν τι κακόν ἐστιν ἡ περὶ τὰς αἱρέσεις φιλοτιμία, καὶ δυσέκνιπτον ἐν τοῖς μάλιστα, καὶ ψώρας ἁπάσης δυσιατώτερον. Idem in opere de facultatib. naturalibus verè adfirmat: οὕτω οὐ μόνον οὐδὲν ὑγιὲς ἴσασιν οἱ ταῖς τοιαύταις αἱρέσεσι δουλεύοντες, ἀλλ' οὐδὲ μαθεῖν ἐθέλουσι, καὶ λοιδοροῦσι προσέτι. Alij quaſi iam ad eruditionis apicẽ peruenerint, doctrina, quam ſibi paraſſe videntur, citra omnem delectum contenti, ſubſiſtunt, ſurdi cæciq́; ad ea omnia quæ nõ didicerunt. De his præclarè idem Galenus ſcripſit: αἱ γὰρ ψευδεῖς δόξαι, προκαταλαμβάνουσαι τὰς ψυχὰς τῶν ἀνθρώπων, οὐ μόνον κωφοὺς, ἀλλὰ καὶ τυφλοὺς ἐργάζονται, τῶν τοῖς ἄλλοις ἐναργῶς ὁρωμένων.

Ego ut ingenijs fauendum, & de diſſidẽtium ſententijs mihi neutiquam temerè pronunciandum, duco: ſic viris præſtantibus, etſi inter eos ſit ſententiarum aliqua diſcrepantia, venerationem & amorem me debere nunquã dubitaui. Et cum ut de religionis doctrina loquar cuiuſq; hominis fidelis illuminationi ac huius gradibus, optimo prouidentiæ diuinæ conſilio, certa temporis momenta præſtituta eſſe nouerim, eam erga alios humanitatem & ἐπιείκειαν mihi pro virili declarandam arbitror, qua uelim alios erga me multiplici profectò infirmitate laborãtem, uti. Delector ſanè eam ob cauſſam, patrui mei magni, Simonis Grynæi uerſiculis,

Non eadem ſentire bonis de rebus eiſdem,
Incolumi licuit ſemper amicitia.

Habẽt autem ſtudioſi, in hiſce de Aſtrologia diuinatrice Epiſtolis, multa virtutum pulcerrimarum, quibus ingenioſum diſputatorem inſtructum eſſe oportet, exempla: quæ monẽt, nos quoq; τῆς μεθόδου, τῆς σαφηνείας καὶ φιλαληθείας in collatione erudita ſententiarum & opinionum, amantes eſſe debere.

Non

Digitized by Google

Non eſt autem mihi illud diſſimulandum, quod res eſt, haſce videlicet Epiſtolas, meo quodam conſilio editas eſſe, cum Epiſtolas, Viri clariſſimi, & publicè de Re Medica, priuatim etiam de me præclarè meriti, D. THOMAE ERASTI, *à magni nominis Viris, ac inprimis à Generoſo & illuſtri viro* ANDREA DVDITHIO AB HOREHOVVIZA, *Cæſareæ Maieſtatis Oratore et Conſiliario, deſiderari, intellexiſſem. Etſi aūt homini diligenti ſemper aliquid ſupereſt, auctore Ioāne Chryſoſtomo: eoq́ credibile eſt* δευτέρας φροντίδας, *aliquid addere potuiſſe iſtis Epiſtolis iā olim ſcriptis: quas ante ſedecim annos relegit, nec vnquam poſtea inſpexit D. Eraſtus, qui etiam cū abſens de editione admonitus eſſet, quòd nondum excuſas iudicaret, editionem differendam cenſuit: tamē cum viderem opere iam abſoluto, mira perſpicuitate & euidentia argumentū hoc ab illo tractatū, & argumentis Antagoniſtarum ſatisfactum eſſe, ac futurum ſperarem vt non ſolum nō moleſtè ferret, ſe abſente Epiſtolas haſce editas eſſe, ſed etiam Aduerſariarum Epiſtolarum copiam nobis aliquando faceret, ſtudio publicæ vtilitatis ductus, Typographum, cui eas dederam, in lucem eaſdem proferre paſſus ſum.*

Scio nec noſtrorum nec alienorum Scriptorum editionem præcipitādam eſſe, ſed tamē, niſi me fallit iudicium, nonnūquam è re eſt uidere etiā in ſummorū Artificum Libris, τὰς πορείας *& progreſſiones in rerum maximarum intelligentia & explicatione. Primæ enim ætatis* εὐφυΐα καὶ ἑρμηνευτικὴ δύναμις, *ſenilis prudentiæ & ſapientiæ & eloquentiæ vbertatem & perfectionem mirificè commendat.*

Eſt etiam humanitatis ea Scripta, quæ mediocrium ingeniorum vſibus ſeruire poſſunt, eo nomine nō ſupprimere, quòd Dei dono ea ſapiētiæ & intelligētiæ vbertas et ſublimitas alicui data ſit, vt ſummis ingenijs ſatisfacere, immò etiam admirationi eſſe, captumq́ inferiorum ſuperare liceat. Dominus IESVS *det vt iſta omnia ipſius gloriæ ſeruiant, Amen. Baſileæ Cal. Aprilis,* M.D.LXXX.

Digitized by Google

THOMAS ERASTVS
MEDICVS
Pio & candido lectori, S. D.

CVM me Principes Illuſtriſsimi Hennenbergenſes ex Italia Schleuſingam euocaſſent, atq;
apud eos Medicinam exercere incœpiſſem,
valde præter opinionem accidit mihi, quod,
ſiue pharmacum exhibere, ſiue venam ſecare, ſiue aliud ægris remedium afferre tentarem, in quo ſigno Zodiaci Luna tunc eſſet, & quem poſitum
ad alios Planetas haberet, plerúq; percunctarentur. Etſi enim
non neſcirem Germanos præ Italis vanitati Aſtrologicæ tribuere, tamen quia Italicis medicationibus aſſueueram, inſolens mihi ea ſuperſtitio videbatur. Ante profectionem in Italiam ſæpe Ephemerides ſeu Calendaria videram, in quibus notati eſſent dies fauſti & infauſti ad ſtercorandum agros, ad ablactãdum infantes, ad præcidendum ungues & capillos, ad ſcarificandum cucurbitulis, ad ſecandum venam, ad exhibendum
uel potum purgatorium uel Electuarium, vel catapotia. Et
quanquam ſcarificationes & venæ ſectiones iuxta Ephemeridum notas inſtitui ſcirem: non tamen ita ſuperſtitioſè obſeruari cùm hæc tum alia huius farinæ ſciebam, ut Medico præſcribenti non libenter parerent, tametſi non omni ex parte cum Ephemeridum notis conſentiret. Cæterùm cum ex tabella in iiſdem Ephemeridibus deſcripta cernerem, multos etiam dies fauſtos uel infauſtos eligere ad faciendum iter, ad induendum ueſtes nouas, ad migrandum in alias ædes, ad mercandum, ad negociandum cum viris principibus, ad uenandum, & denique
ad quiduis auſpicatò inchoandum dies certos ut fauſtos eligere,
alios ut infauſtos abiicere: non potui non imperitiam uulgi admirari, & infelicitatem miſerari. Quis non grauiter ferat, homines Chriſtianos contra pietatem & manifeſtum Dei præceptum, dies hoc modo obſeruare? Dico hoc modo, ut illas temporũ
electiones diſcernam à ſuperſtitioſa Aſtrologorum electione,

quas rectè Agricolæ, Nautæ, Medici, & alij quidã obſeruãt. Sanè Agricolæ certa tempora ſerendi, metendi, ligna cædendi, uites & arbores putandi, & reliqua opera ruſtica faciendi eligunt: non quia cælum aut huius ſidera felicitatem aut infelicitatem operi promittant, ſed quia ab aeris temperie res ita mutatæ ſunt, ut eo ipſo tempore uel facienda, uel omittenda ſint, quæ faciunt omittuntq́. Alia namq. hyeme, alia æſtate, & alia alijs temporibus commodius fiunt. Sic Medici & Nautæ tempora obſeruant, ac dies eligunt: non quia occultam certos dies habere maliciam bonitatemúe poßidere opinentur. Huc accedit, quòd perſæpe contingit, occaſionem rei alicuius bene gerendæ, propter expectationem felicis diei, elabi. Quod quàm frequenter & facilè Medicis accidat, nemo ignorat. Equidem timidè aliquando id egi, quod ratio facere iuberet, quod nonnunquam culpã eorum, quæ uiolentia morbi ſecus eueniſſent quàm ſperabatur, in pharmacum intempeſtiuè exhibitum relatam audiuiſſem. Et cum ex ſententia cuncta accidiſſent, non defuêre tamen aliquando, qui periculoſam curandi rationem opinarentur, quotiens non inſpecto Calendario aliquid circa ægrum Medici tentarent. Hinc factum uidi, ut æger quidam ualde periclitaretur, quòd non auſus fuiſſet Medicus ſanguinem mittere, propterea quòd Luna fuiſſet in Scorpione. Ego certè uocatus & ſanguinem miſi, & uanas eſſe eas obſeruationes re & opere docens, perſuadere tamen non potui, uanas eſſe. Quanquam verò adulari vetulis imperitisq́. hominibus nunquam uolui, ſæpe tamen ab initio quædam, ubi certò ſcirem ægro nihil inde mali accerſitum iri, dißimulare ac inueteratæ ſuperſtitioni tribuere, ſeu potius concedere coactus ſum. Poſtea maiore audacia deliria iſta reprehendere, ac nulla in re cedere cœpi: valde abſurdum pariter & iniquum videbatur, ut artem quam per tot annos in Italia à præſtantißimis, prudentißimis, & experientißimis uiris, curationes eorum obſeruando, & eoſdem quantum ingenio & diligentia conſequi potuiſſem, non ſine optimo ſucceſſu (Dei Opt. Max. ea laus eſto.) imitando, magno labore ac ſtudio didiceram, ad præſcriptum Aſtrologorum & delirantium anuum aduerſus rationem, certamq́. experientiam exercere temperareq́. iuberer.

berer. Hanc ob cauſam Hieronymi Savonarolæ viri ſanctiſsimi & eruditiſsimi libellum, Italico ſermone conſcriptum, quem penes me habebam, in Germanicam linguam conuerti, atq; ad uulgi captum pro viribus attemperaui, quo uel aliquos ab iſta uana ſuperſtitione retraherem. Hunc docti quidam valde approbarunt. Non pauciores, ſed impenſe rudes & ineruditi, partim voce partim verò literis, nec non præfationibus in ſuas Ephemerides vel prognoſtica ſcriptis, eundem condemnarunt, & me unà cum eo diris deuouerunt. Conuicia & criminationes illorum, qui rationes ſuæ opinionis nullas adferrent, ut canū latratus facilè tunc contempſi, & nunc etiam contemno. Nolim enim, ſi qua maximè poſsim, hic victor euadere. Vinci hic prorſus malo, dum impietatem illi ſuam hoc pacto magis patefaciunt. Alij quidam argumentis oſtendere conati, haud rectè me feciſſe, qui Aſtrologiam oppugnare in animum induxiſſem, reſponſione digni uiſi ſunt. Atq; hac occaſione Epiſtolas in præſēti uolumine comprehenſas conſcripſi, & præter has alias complures, in quibus tamen eadem propè tractantur.

Editionis ſiue publicationis occaſio hæc eſt. Cum Chriſtophorus Stathmion Medicus, me ad ſcribendum prouocauiſſet, atq; ego me ad eum unum ſcribere putarem, exempla ternarum apud me literarum nulla retinui. Nihil tunc minus cogitabam, quàm in publicum tales dare. Poſt aliquod tempus, ubi cùm ex alijs, tum ex ipſomet Stathmione cognouiſſem, ipſum eas ad doctiſsimos viros VVitebergam tranſmiſiſſe, & tantum non publicaſſe, non immeritò dolui. Non enim ea perſcripta accuratione fuerant, qua elaborari decet, quæ in conſpectum doctorum hominum ſunt uentura. Multa quoq; in ijſdem erant ad rem, de qua diſputabatur inter nos, nihil attinentia, utpote quæ ad nos duos ſolos pertinerent, quæq; alios ſcire minimè utile erat. Attamen cum primum opera amicorum exempla ſuperiorū literarum recepiſſem, ne parum iudicaret me cauſæ confidere, dixi, me eas editurum eſſe, ut non aliqui ſolum, ſed plurimi legere poſſent. Preſſi autem hucuſq;, quia grauioribus negocijs non occupatus modò, ſed propemodum obrutus relegere, & quæ ad rem & quæſtionem nihil facerent, ſed de alijs rebus ſcripta eſſent, reſecare non potui. Ergo ſuperiore hyeme, cum diſcie-

Et i propter peſtem à ſchola & vrbe exularemus, nec aliud facere eo tempore propter librorum abſentiam, & loci extremam anguſtiam incommoditatemq́ poſſem, prædictas epiſtolas recognoui, & inutilibus amputatis ea tantum ſuo manere loco ſiui quæ ad rem controurrſam aliquo modo pertinere iudicaui. His alias etiam quaſdam ad alios de re fermè eadem conſcriptas addidi, illas uidelicet, quæ aliquid operæpretij, hoc eſt, utilis alicuius rei quæſtionisúe deciſionem vel explicationem continebant. Et horum quidem nomina non expreſſi ferè, propterea quòd parum conſtaret, an nominari hic vellent. Qui uolent, aut ſeipſos nominabunt, aut alio loco & tempore à me, ſi Deo nō ſecus uiſū eſt, nominari poterunt. Intellexi etiam non multo pòſt, unum ex his quorum in his literis mentio fit, abreptum peſte fuiſſe. Quocirca mox nomen expunxi, ne mortuos inſectari velle viderer. Ac de Stathmione quidem alios malo iudicare. De cæteris quorum hîc literæ confutantur, non vereor affirmare doctrina eos & ingenio omnino plurimis antecellere. Etſi enim hanc cauſam frigidè egerunt, nihil tamen ex hoc laudi & exiſtimationi eorum detrahitur. Quis enim quantalibet doctrina præditus, malam, imò peſſimam cauſam doctè & ſolidè defendat? Quanquā iudico aliquos ex his, non tā oppugnare ſētentiam meam, quàm exercere me voluiſſe. Editionem verò literarum mearum ad ipſos, ideo non ægrè ferent ſpero, quod veritatis ſtudioſi hinc diſcere poterunt, quantum in utraq́ cauſa inſit roboris & certitudinis. De hiſce lectorem admonendum putaui, ne factum meum aliquis ſiniſtrè interpretetur. Vale. Heidelbergæ, Calend. Nouemb. Anno 1564.

Digitized by Google

THOMAS ERASTVS D. CHRISTOphoro Stathmioni, Medico Coburgenſi S. D. Epiſtola I.

LITERAS tuas, vir clariſſime, quas prid. Calend. Auguſti ſcripſiſti, poſtridie accepi. Ais te gaudere, te occaſionem nactū fuiſſe mecum conuerſandi propter communia ſtudia. Puto te id voluiſſe, gaudere te opportunitatē tibi datam eſſe, mecum conferendi de rebus Aſtrologicis. Non enim vnquam, dum iſtic eſſem, ad nos venire, tametſi vocatus fuiſſes, voluiſti. In ſententia me confirmat, quòd mox addis, te intellexiſſe, me Aſtrologicæ conſiderationi infeſtum eſſe. Quod me præter rationem diuinatricem Aſtrologiam ridere putas, in eo non leuiter falleris. Ratio qua te cōmoueri oſtendis, quia ſcilicet philoſophus ſim atque medicus, euanida eſt. Hoc enim docuerit potius, me ſi fidem Aſtrologiæ habeam, neque philoſophum neque medicum eſſe. Ego, mi Stathmion, hactenus cùm in philoſophia tum medicina mediocriter ſum verſatus, nec intelligere videreque aliud potui, quàm veſtra illa deliramēta & rationi & philoſophiæ principijs aduerſari.

Philoſophi munus eſſe veritatem indagare & amplecti, rectè à te dictum eſt. Si philoſophus ego eſſem, (contentum me eſſe in præſenti oportet, quod eſſe fieriq́ue cupio.) maiore vtique induſtria & conatu contra philoſophiæ hoſtes, Aſtrologos, pugnem, cum præſertim multorum per Germaniam animos infatuatos ab illis non ſine dolore perſpiciam. A Galeni & Hippocratis placitis vt diſcedam tantum abeſt, vt eos maximè leues exiſtimem, qui vel non ob iuſtam, vel ob leuem cauſſam viros tātos reprehendere ſolent. Apud Hippocratem nihil reperi, quod Aſtrologię patrocinetur. Galenus vix vnquam meminit, præterquam in 3. de diebus decretorijs libro. Quid eum permouerit illa vt ſcriberet, ipſemet in 10. cap. ſatis declarauit. Deos aduocat teſtes, ſe ea non niſi paucis quibuſdam amicis cogen-

Digitized by Google

tibus ſcripſiſſe. Quod cauſſæ quam ibidem tractauit parum conſideret, ex eo poteſt intelligi, quòd cum omnes propemodum commentarios ſuos amicorum hortatu ſcripſerit ac ediderit, tali nunquam excuſatione vſus fuit. Sed non iam quid Galenus ſenſerit quæritur. Illud in controuerſiam potius venire arbitror, vtrum Galenus perficiente concludenteque ratione propoſitum confecerit.

Credo te non ignorare, Galenicum illum menſem, cuius gratia Aſtrologiæ ibi commeminit, fictitium eſſe, nullaque vel parum probabili ratione niti. Adde quod à Doctioribus medicis omnibus antiquis & recentioribus cõtemtus ac neglectus eſt. Aſtrologorum noſtræ ætatis decretis minimè conſentaneus exiſtit. Neque facile eum approbauerint. Si ocium mihi ſit maius, non admodum difficile mihi fuerit oſtendere, quæ Galenus in 3. decret. dierum de vi & efficientia ſiderum affert, vera & conceſſa philoſophis eſſe, modò non perperam intelligantur. Nam ſi, vt Aſtrologi opinantur, interpretari aliquis velit, falſa pleraque ſunt, & à philoſophia maximè diſſentanea. Quare non miraberis, ſi à Galeni ſenſu recedam in craſſa illa philoſophia, quam in ſuis ſcriptis alijs nec docuit nec probauit vnquam. Hoc loco (iam enim ita eum ſenſiſſe pono) ad probandum diem 20. non verò 21. decretorium eſſe. omnia talia propoſuit. Quid hac de re alibi, poſt hos libros ſcripſerit, tibi non incognitum arbitror.

Cum porrò Hippocratem etiam ſtudioſum Aſtrologiæ diuinatricis fuiſſe ſcribis, pergrauem ſeni optimo iniuriam facis. Niſi ſi per Aſtrologiæ nomen Aſtronomiam aut aëris qualitates intelligis. Id ſi eſt ita, de nomine litigas. Quod antiqui non vno modò ſemper hoc nomen vſurparint, iam olim didici. Ergo ſi non diuinatricem intelligis, cauſſa excidiſti: & cũ Aſtrologiam te defendere putas, eiuſcemodi adfers, quæ ad rem propoſitam nihil faciunt. Ego mehercle iam pridem ſciui, Hippocratẽ & Galenũ (alios taceo) aëris mutationes in prænoſcendis, iudicandis & curandis morbis optima ratione obſeruaſſe, nobiſque obſeruandas propoſuiſſe. Noui illud etiam, Hippocratem anni

tem-

Digitized by Google

tempora per certorum ſiderum ortum & occaſum interſtinguere ſolitum fuiſſe. At hæc nihil Aſtrologiam iuuant, quod tute ipſe noſti.

Quæ ex Galeno verba adfers, ea ſunt clariſſimis quibuſque philoſophis & aſtronomis conceſsa, vt rectè Galenus monuit. Si ita interpretari voles, vt philoſophi ea intellexerunt, perlibenter vera eſſe dabo. Quinetiam aliter non poſse rem habere, ſi ſit opus, probabo. At inde ſequi, vt tu putas, Aſtrologiam certam eſse, aut futura contingentia ex cœlo præſagiri poſse, id eſt quod pernego, falſumque eſse contendo. Hoc ſi tu probaueris, facies quod Aſtrologiæ patronnm decet.

Quod poſtremo loco Nautas & Agricolas de quibuſdã rebus ex aſtris iudicare ſcribis, nihilo magis ad rem pertinet quàm ſuperiora. Non enim ex ſiderum conuerſionibus, motibus & aſpectibus vocatis tempeſtates futuras præſagiunt, ſed ex aëris affectionibus præſentiunt, de quibus proprium habes apud Ptolemæum caput. Hæc ſi tu ad Aſtrologiam tuam refers, rurſus de nominibus litigas. Talia namque ita ferè indicant aeris mutationes, ſicut vrina & alia excrementa facultatum naturalium actiones medicis oſtendunt.

Quoties Aſtrologiam falſam eſse aio, eam intelligo, quæ ex mutuis ſiderum aſpectibus, conuerſionibus, retroceſſionibus, exhalationibus, manſionibus & ſimilibus futurorum præſenſionem pollicetur. Hinc ſi vel Nautas vel Agricolas diuinare probaueris, aliquid certè dixiſſe videberis. Quod enim lunam interdum retuſis cornibus, obſcuram, rutilam, pallidam aliterúe affectam videre videntur, ex quo aut ventos aut pluuias ſecuturas conijciunt: hoc tu nõ ad ſtellarum mutuos intuitus, ſed ad meteora referre debes. Etenim à vaporibus ſiue exhalationibus in aëre talia perficiuntur. Habes ad omnia, quæ de Aſtrologia ſcripſiſti, reſponſum certum minimeque ambiguum, tale ſcilicet, quale in maximis occupationibus ſcribere licuit.

Cæterùm non præter rem fuerit, omnia ſummatim

Digitized by Google

repetere, vt quid ego negē clarius perſpicias. Sic ergo ſcri bis. Quamuis audieris me Aſtrologiæ infeſtum eſſe, credere tamen non potuiſſe, cum ſcias hominem Philoſophum & Medicum damnare eam iure non poſſe. Me porrò inter hos (vtinam rectè) numeras. Ex quo confectum tibi cenſes, rectè fuiſſe te, qui perſuaderi tibi hoc de me ante non fueris paſſus, quàm ex illis cognoueris, qui mecum in arce fuerant pranſi. Summa hæc eſt, Philoſophi & Medici non contemnunt Aſtrologiam. Ad hoc reſpondeo, Platonem, Ariſtotelem, Alexādrū, Auerroē, Hippocratem, Galenum, Auicennam, ſummos Philoſophos & Medicos extitiſſe, & Aſtrologiam tamen vel deſpexiſſe vel improbaſſe. Certè pro ementitis fabulis plerique philoſophorum habuerunt, quæ tanti æſtimant Aſtrologi. De Medicis ſatis multa diximus.

Reliquum epiſtolæ tuæ ferè in eo probando conſumitur, quod Hippocrates & Galenus in morborum curationibus Aſtrologiæ præcepta ſecuti ſint, hoc eſt, quod more Aſtrologorum ſiderum oppoſitiones, coniunctiones, varios, multiplicesque rerum aſpectus obſeruarint. At falſò te hoc illis attribuere iam dictum eſt. Quāquam enim Galenus cauſſam adferre tentauit, cur 20. diem, non verò 21. Hippocrates decretorium ſtatuerit, Medicis tamen eam obſeruationem non iudicauit ſequendam aut cognitu neceſſariam, quod partim ex 10. cap. partim ex peroratione, qua in hac materia vſus eſt, apparet. Sed hæc res longiorē poſtulat orationem, ſi pro dignitate explicari debeat, apud eos præſertim, quibus nihil ſatis eſt.

Hortaris me ad extremum, vt Hippocratem potius & Galenum quàm Manardum & Picum imitari velim. Manardum præſtantem Medicum pariter & philoſophum fuiſſe negare non audebis. Picum plurimis iiſdemque clariſſimis philoſophis plurimum anteceſſuiſſe cuncti intelligunt, qui ſcripta ipſius cum iudicio perlegerunt. Hi ab Hippocratis & Galeni ſententia nunquam diſceſſerunt, niſi quòd Aſtrologica Galeni, quæ in vnico illo 3. de diebus decretoriis propter commemoratam cauſſam ſcripſit, pro-

bare

re non potuerunt. Quod ſi Aſtrologum fuiſſe Galenum conſtaret, ac præceptis Aſtrologicis omnes ipſius libri referti eſſent, & denique ipſe decreta Aſtrologorum in curãdo obſeruaſſe ſciretur, hęc inquam ſi omnia certa forent: & extaret aliquis qui non bene Galenũ talia ſcripſiſſe certis argumentis demonſtraret: an tu Galenum falſa docentẽ ſequi malles, quàm alium quemuis veritatem profitẽtem? Apud me certè nullius hominis authoritas eſt tanta, vt non maior ſit veritatis. Ergo cum & Picum & alios cõplures hoc effeciſſe conſtet, cur hac in re Galenum potius audiam, quàm illos? Picum facile eſt reprehendere, vt alios omnes doctos. At confutare eius ſententiam & argumenta diſſoluere, hoc verò eſt difficillimum, imò impoſſibile. Qui hucuſque tentarunt, ita tentarunt, vt ne ipſi quidem Aſtrologi probare poſſint. Tu quidem hic erraſſe eos affirmas, quod etiam antea in libello tuo feciſti, ſed nihil probas. Sine ratione quodlibet damnare quilibet quantumuis rudis poteſt. Accipio nihilominus tuam adhortationẽ in bonam partem, atque animum, non rem ad quam me hortaris, ſpecto.

Proinde vt ne ingratum me putes, te viciſſim hortor ac oro, vt anilibus iſtis nugis relictis veritatem complectaris. Quod vt facere aptius poſſis, argumento vnico falſitatem Aſtrologicæ diuinationis tibi declarabo. Vtar autem argumento tali, quod nemo Chriſtianus (iam enim philoſophiam ſepono) falſum aut elumbe iudicabit. Nulla quantumuis pura ſpiritualis & intelligens creatura futura contingentia nouit, niſi ſi Deus peculiari inſpiratione illis manifeſtarit, ſed ſolus Deus hanc notitiam obtinuit. Atq; ita ſolus nouit quid futurum ſit Deus, (loquor ſemper de contingentibus) vt ſuam hanc eſſe gloriam velit: vt ſibi ſoli tribuat: vt hoc argumento probet ſe vnum Deum eſſe, præter ſe Deum non eſſe. Dæmones hoc argumento Deos non eſſe efficaciter probat per prophetam Eſaiam, quia futura ignorent. Porrò Aſtrologos non Deos, ſed mortales homines eſſe non negabis opinor. Quinetiam non ex inſpiratione diuina, ſed ex arte futura præſentire

Digitized by Google

poſſe videri volunt. Hinc neceſſariò duo ſequuntur. Horum primum eſt, Aſtrologos non poſſe arte induſtriaúe vlla futura præcognoſcere. Alterum eſt, ipſos illud ſibi arrogare, quod ſibi ſoli ſeruare Deus voluit. Hoc ſi non eſt cum Deo pugnare, quid Deum oppugnare ſit neſcio. Aſtra de cœlo detrahere nos velle clamant Aſtrologi, quoties veritati contra figmenta ipſorum ſuffragamur. Multò ſanè rectius de ſe ipſis hoc prædicauerint. Equidem Deus ſuum ſe honorem nolle alij tradere dixit. Quare cum ſcientia futurorum ad Deum pertineat, diligenter cauendũ nobis erit, ne nobis hunc adſcribamus honorem, & non aſtris duntaxat iniuriam faciamus, ſed Deum quoque ipſum ſpoliare velle iudicemur.

Hæc ad tuas literas reſpondere volui, quas ob eam cauſſam te ſcripſiſſe ſatis apparet, vt quid hac de re ſentiam intelligeres. Quæ præterea hic de Medicis prædictionibus diſputari ſolent, explicari hoc in loco non poſſunt. Neque eſt neceſſe apud te, quem nõ ignorare arbitror, quantum inter Medicas & Aſtrologicas prædictiones ſit diſcrimen. Dabitur fortaſſe ocium iſta copioſe & cum methodo tractandi, id quod facere ſtatui, propterea quòd multos non ſatis perſpicere video, quantum inter ipſas interſit. Vale. Maſſeldiæ, 4. Nonas Auguſti.

THOMAS ERASTVS D. CHRISTOPHORO Stathmioni Medico Coburgenſi, S. D. Epiſtola II.

MAgna attentione tuas literas perlegi, quas 23. Auguſti ſcripſiſti, quod mihi perſuaſiſſem, te aliquid ſolidi ſcripturum fuiſſe. Verùm pro argumentis, quibus Aſtrologica vanitas propugnari poſſe videretur, aceruum conuiciorum legi. Vocas me ἀμέθοδον, indoctum, amentem, & neſcio quid non mihi tribuis. Præterea λόγον te ἐ λαλίαν in mea narratione requirere ais. Acerbè reprehendis, quod citra diſtinctionem prænotiones ex aſtris falſas, inanes, futiles dixerim. At parum bene, vt ne quid tuo iudicio dicam acerbius, hic me accuſas. Etenim pro cauſſa propoſita aptè ſatis omnia diſtinxi. Non puto te neſcire, aliam eſſe rationem ſcribendi, cum alicui reſpondemus, & intentata crimina depellimus: aliam cum ipſi aliquid tractare inſtituimus. Nihil mihi probandum tractandumq; hactenus præcipuè ſumſi, ſed ad tuas tibi literas reſpondere tantum volui. Ad extremum, quia me adhortatus fueras ad complectendas nugas Aſtrologicas, admonendus mihi viſus es, quanto cum periculo id eſſet coniunctum, quamq; pugnaret cum pietate Aſtrologica profeſſio. Animum, non rem quam mihi laudabas, ſpectaui. Ideo officium officio compenſare volui. Quam ergo Methodum hic aliam deſiderabas? Species, ais, diuinationum non diſtinxiſti. Cur hoc à me poſtules non video. Nam in tuis literis, quibus reſpondendum mihi erat, ſolius Aſtrologicæ mentio facta fuit. Cuius cum eſſe partem credere videreris eam, qua Nautæ atque Agricolæ futuras præſentiunt aëris mutationes, quod inter eas diſcrimen eſſet, obiter ſolum indicaui.

An non apertis verbis, de qua Aſtrologia intelligi vellē, expoſui? Non de genere, ſed de ſpecie vnà litem mihi mouiſti. Ergo cum de ſola diuinatrice Aſtrologia ſermo nobis eſſet, non de alia loquendum mihi duxi. Quinetiam ſidera vniuerſali ratione terrena hæc exornare, immutare,

diſponere, concedere me, licet obſcurè, ſignificaui. Tantum futura contingentia ex cœlo præcognoſci poſſe negaui. Idem hoc iam repeto, ne iterum querare me indiſtinctè ſententiam meam tibi propoſuiſſe. Appello autem futura contingentia, quæ non magis fieri poſſunt, etiam quæ rarò eueniunt, ac non euenire poterant. Horum ex aſtris præſenſionem, quo modo Aſtrologi ſe præuidere dictitāt, vanam & futilem eſſe, nulliſq; vel naturæ vel rationis principijs niti dixi. Quare non eſt, vt naturalem eſſe hanc diuinationem me credere credas, quæ principijs naturalibus caret, ac falſis tantum nititur nugacium Chaldæorum Aegyptiorumq; opinionibus. Quod ſi non hoc modo in vnū quaſi faſcē collecta reperiſti, colligere debebas, non tam acerbè reprehendere.

Cum nullius creaturæ, ſed ſolius Dei eſſe dixi futura cōtingentia intelligere, debebas vtiq;, me non admonente, hoc de talibus accipere, quorum cauſæ nondum agunt, vel agere non ſciuntur. Cauſſas intelligo non remotas, vt Aſtrologi ſolent, ſed definitas, proprias, & proximas. Etenim cum ita Deus per prophetam argumentatur, Dæmones in Idolis non ſunt Dij, quoniam ignorant futura: nemo tam eſt iners, qui de talibus eum loqui intelligat, quæ iam fieri producique incœperunt. Non enim neſciunt Dæmones, plumbum quod in ignem iniectum eſt, niſi aut reſtinguatur ignis, aut rurſum eximatur plumbum, mox eſſe diſſoluendum. Norunt Medici, cum ex vrina alijſúe excrementis, naturæ vires, actiones, opera perſpiciunt, nihilque adeſſe quod eam impedire queat, intelligunt criſim certo quodam tempore futuram. Antea verò quàm à natura morbi materiam ſuperari, (& quæ alia huc pertinent) cognouerint, de futura criſi percipere nihil poſſunt. Quis enim medicum doceat, quo modo morbus, qui nondum natus eſt, finiendus ſit? Ex hiſce haud difficulter intelligitur, Medicos non ante futurum aliquid præuidere, quàm eſſe iam incœperit, ſiue produci à propinquis & proprijs cauſſis perſpexerint. Hoc inter artificem & imperitum intereſt, quòd ille exilia principia videt, quæ huic nondum

appa-

Digitized by Google

apparent. Itaq; cum artifex, quod iam eſſe fieriq; incœpit, at propter paruitatem cæteros adhuc latet, futurum prædicit, diuinaſſe ipſis putatur.

Iam igitur argumentum, ſpero, intelliges. Futura contingentia ſolus Deus, non vlla creatura, nouit. Aſtrologi non Dij ſunt, ſed mortales homines. Quare futura contingentia ignorant. Addamus iam reliqua. Aſtrologicæ prædictiones verſantur penè omnes circa futura contingentia. Ea igitur profitentur & pollicentur Aſtrologi, quæ præſtare nulla creatura poteſt, niſi Deus peculiari modo pate fecerit. Vbi nam à Methodo & à propoſita nobis cauſſa aberraui? Dicis alicubi iſta perſpicuè expoſita eſſe vniuerſa, vt non opus habeas τȣ̃ θεολογίζειν mecum. Ego verò cum nomen authoris taceas, non poſſum diuinare (neque enim Aſtrologus ſum) quid, quando, quomodo ſcripſerit. Hoc tibi affirmem, ante hæc noſtra tempora nullum probatæ eruditionis & vitæ Theologum extitiſſe, qui non veſtras nugas, ea diſtinctione, quam nuper expoſui, adhibita, damnarit ac repudiarit. Dixerim hoc amplius, nullum philoſophum inſignem fuiſſe, qui eaſdem probaret. Omnes enim aut neglexerunt, aut palàm lacerarunt. Ficinus principio aliquid huic vanitati tribuere viſus eſt. Sed in epiſtolis ad Picum & Politianum omnino deridet. Quinetiam commentario quodam in Plotinum, philoſophum Platonicū ſolidiſſimè vniuerſam confutat: parum igitur rectè ſcripſiſti, me pro mea ſapientia præclariſſimos Philoſophos & Medicos, qui hæc ſtudia coluerint, contēnere. Ego, Stathmion, ſi ſapere eſt mendacijs Aſtrologorum non credere, plurimum hac in parte ſapio. Etenim diuinationibus Aſtrologorum fidem nullam adhibeo, ſed vt veritatis hoſtes vito. In cæteris rebus nemini me ipſum, non dicam prætulerim, ſed temerè comparauerim.

Ad ea quæ de Pico ſcribis, nihil opus eſt reſpondere. Vnū hoc ſcio, neminē veris argumentis confutaturum eſſe, quæ contra Aſtrologos ſcripſit. Vt enim quædā reprehēdi poſſint, nō tamen non pleraq; ſunt vera. Ptolemæum inſignem fuiſſe philoſophum, neque tu neq; alius quiſquam

Digitized by Google

probabit, at Aſtronomum fuiſſe præſtantiſſimum, facilè oſtenderis. Nolim hic mihi inſultes, quaſi Aſtronomiam à philoſophia excludam. Ego namq; Ptolemæum naturalē philoſophum fuiſſe alicuius nominis nego, Mathematicum extitiſſe ſummum libenter concedo. In huius libris Aſtrologicis (quos tu me ſine delectu damnare putas) ſi quid ineſt veri & boni, id perexiguum eſt, atque ita fabulis & mendacijs conſpurcatum, vt nō omnino auarus homo facilius ex ſtercore aurum colligat, quàm veram ex illis libris ſententiam is excerpat, qui bonas horas non malè collocatas velit. Galenum me cum Pico nugatorem nominaſſe ſcribis. Quam verè non attinet dicere. Quod ſi nugari eum hac in parte, in qua Aſtrologica tractat, dixerim non grauiter, puto, peccauerim. Non ſunt prorſus eadem, ſi aliquem nugas aliquot ſcripſiſſe dicam, & ſi abſolutè nugatorem eſſe affirmem. Ego tamen ita me eum appellaſſe non recordor.

Tandem ſic ratiocinaris, ſi in certam formam reducantur quę confuſè tu proponis. Quod manifeſta probat experientia, id nullis poteſt eludi rationibus. Atqui principia naturalia ſecundum lunæ, & aſtrorum circuitus motuſque alterari, mutari, diſponi, manifeſta probat experientia. Nullis itaque rationibus refelli id poterit. Ego neque ἀναισθητος, neque truncus ſum, neque cum Democrito niuem atram eſſe aſſero (Omnia iſta pulchrius ac verius in Aſtrologos, quàm in me, quadrant, quibus à Ptolemæi Arabumq; Aſtrologorum mendacijs vel paulùm diſcedere maior eſt religio, quàm Pythagoreis fuit à ſui magiſtri placitis diſſentire) ſed totam ratiocinationem vt veram admitto. Quinimò veram eſſe firmiſſimis me rationibns demonſtrare poſſe confido. Aſtra certè horum ſublunarium cauſſæ ſunt generales, ordinis & diſpoſitionis effectrices cauſſæ. Et præterea ita omnia hæc conſeruant, vt ſi vim cœli nobis eripi, vel momento temporis cogitemus, omnia ſint collapſura. Non enim cauſſa duntaxat cœlum eſt, vt apud nos hic omnia fiant, verum etiam actum dat ſingulis, vt vnumquodque id agere poſſit, ad quod agendum à

natu-

Digitized by Google

natura factum eſt. Sicut corporis noſtri pars nulla viuit aut viuere poteſt, ſi non à corde vitam recipiat: ita ſublunarium rerum nulla ſine ſalutari vi cœlitus infuſa perſiſtere, & pro ſua natura agere valet. At hinc ſequi, quod tu putas, illud eſt quod & nego, & falſum eſſe dico. Quis enim hanc putet ratiocinationem veram & efficacem eſſe? Cœlum & aſtra ſunt generales horum inferiorum cauſſæ, ergo ex ipſorum motus aſpectuumque obſeruatione poſſunt futuræ particulares mutationes præcognoſci. Nemo certè præter Aſtrologos vitium ſiue falſitatem non videt. Si argumento illo Galenus fuit permotus, vt dierum decret. cauſſas in cœlo quæreret, nihil ipſe habuit, quod non omnes docti ante & poſt ipſum habuerint. Et nihilominus hi cauſſam eorũ in cœlo non reperiri euidentibus & certis argumentis confecerunt. Exemplum quod ex Galeno adfers, ipſe ex Aegyptiorum placitis ſe deſumpſiſſe oſtendit, quod tam eſt falſum, quàm tota Aſtrologica ariolatio falſa & ementita eſt. Si experientiã vrgeas, negabo tibi vllam de his rebus experiẽtiam haberi poſſe, ſcilicet quòd à ſiderum poſitu hæc fiant alia quàm vniuerſali ratione. Neque debes à me hic probationem expectare, qui ad ea tantum reſpondeo, quæ mihi tu propoſuiſti. Dabitur fortaſſe occaſio iſta probandi alio tempore.

Valde miror te, dum ſic ſcribis. Adde quod Galenus ipſemet ingenuè fateatur, ſe in accommodando lunæ motu diebus Hippocratis, nullam diſcriminationem adferre, ſed veriſimilitudinem tantum. Hæc ſunt tua. Primum illud conſideratione dignum eſt, quòd Galenum contendis nihil demonſtraſſe. Idem conſuerunt in hoc negocio omnes docti, qui eum ſecuti ſunt. At verò Galenus aliter ſenſiſſe iudicari poteſt. Sexto namq; cap. libri illius ſophiſtas illos appellat, qui lunæ tetragonas & diametras ſtationes non credunt in principijs bonis bonas facere alterationes, in malis malas. Affirmat etiam principio ſe vti omnibus confeſſo cap. II. à ſideribus terrena hæc exornari diſponiq; aſſerens. Quod ſi ex vero principio rectè concluſionem deducit, non veriſimilis ea ratio dicenda erit, ſed neceſſa-

ria. Cæterùm iſtud iam ſinamus, & quod ex dictis infers, ſecundo loco perpendamus. Galenica ſeu potius Aſtrologica non putas nugas vocari poſſe, quia Galenus non neceſſaria, ſed veriſimili ratione pro illis aſſerendis vſus ſit. Ex iſta tua ratiocinatione ſequetur, nihil pro nugis habendum eſſe, niſi is qui dixit, demonſtraſſe ſe affirmarit putaritúe.

Non multo pòſt falli nos ſcribis, quòd diſputationem Galeni de cauſſa dierum criſimorum ad artis opera exercenda minimè neceſſariam eſſe diximus, & quòd non alia de cauſſa ipſum ſcripſiſſe vniuerſa illa affirmauimus, quàm vt 20. diem probaret decretorium eſſe. Ego vtrumque ex Galeno probari poſſe exiſtimo. Et quod ad primum attinet, ex 10. cap. cognoſcere quilibet poterit. Satis namque explicatè oſtendit tertium illum librum Medico non eſſe neceſſarium. In 4. Aph. 36. tam clarè ab eo ſcriptum eſt, quæ in tertio libro de cauſſis horum dierum diſſeruerit, nihil ad artis opera conferre, vt planius dici vix queat. Quibus addi poteſt, quod in nullo alio commentario horum mentionem facit, quàm in hoc loco. Et facere tamen ſæpe debuerat, ſi vtilia iudicauerat. Quod verò præcipuè propter 20. diem opus illud ſcribere aggreſſus ſit, argumento illud eſt, quod ex lunæ tetragona & diametra ſtatione de die ſeptima & in 14. probare aliquid conatus eſt. De reliquis diebus nihil propemodnm dixit, quo pacto ſcilicet à lunæ motu efficiantur decretorij. Deinde in alijs com. vt in prognoſt. præcipuè 20. diei meminit. Quod ſi non placet, vt propter hunc diem præcipuè comm. illum ſcripſiſſe dicatur, non repugnabo. Facilè namque ceſſero cuiuis, quoties non firmis argumentis ſententiam tueri poſſum. Hac igitur in re viceris, & non magis propter 20. quàm omnes alios ſcripſerit eum librum.

Iam tuam concluſiunculam inſpiciemus. Breuiter ergo, cum reuera planetarum conſideratio hoc commodi præſtet, quod in ea morborū & naturæ vires nec non mutationes eorundem, augmenta item & decrementa antequam fiant perſpiciantur, vnde commodius feliciusque tum

Digitized by Google

tum dietæ tum pharmacorum modus & vſus, gubernari poteſt, nō video ſemel quo pacto aſtrorum obſeruatio vel Philoſopho vel Medico indigna ſit, &c. Hactenus tua.

Vehementer ſcire velim, ex quibus iſta ſequeretur concluſio. Non poteris ex eo deducere, quod Galenus dierū decret. cauſſas ad lunæ motum retulit. Ipſe enim hanc notitiam nihil adferre commodi Medicinam exercenti affirmauit. Neque ex eo, quod ſidera vniuerſales cauſſas horum inferiorum rectè ponit. Nam ex vniuerſali & remota cauſſa nihil certi de particularibus rebus cognoſci poteſt. Sed & tu quoque ais, Galenum non motum lunæ diebus, ſed dies motui accommodaſſe. Quibus hoc ſignificare velle videris, non ex luna dies hoc habere, vt ſint decretorij, vel non ſint: ſed Galenum in lunæ motum, vt potuerit reduxiſſe, quo cauſſam aliquam reddidiſſe iudicaretur. Ego certè non video, quomodo non æquè debeat ac poſſit motus lunæ diebus aptari, atque dies motui, ſiquidē ille cauſſa eſt, hi autem ſunt effectus. Eſt enim mutua inter effectus atque cauſſas relatio.

Tot ferè occurrerūt quæ reſcriberem ad tuas literas. Quòd ſi præter inſtitutum atque officium meum probaſſe tibi videbor, Galenum diſſertationem de cauſſis dierum decretoriorum neque vtilem neque neceſſariam exiſtimaſſe ad artis opera rectè exercenda: id eo me feciſſe cogitato, ne poſthac neceſſitatem huius vanitatis authoritate Galeni prædices.

Ergo vbi paucula hæc adiecero, finem ſcribendi faciam. Menſis Galeni figmentum falſum eſt tuo etiam teſtimonio. Sed nec probat 20. diem decretorium eſſe potius quā 21. Neque ex lunę motu probari poteſt decretorium ipſum eſſe vel alium quemuis, vt Galenus credidiſſe videtur. Etenim ſi lunæ motus efficit vt dies alij decernant, alij nō decernant, omnium erit cauſſa decretoriorum, vt ſcilicet decretorij ſint, non quorundam tantum. Erit ergo & 3. & 5. & 11. & 17. & tandem 20. Si verò aliquorum & non omnium cauſſa exiſtit, quæ erit excogitanda ratio aliorum? Aut

Digitized by Google

quid habebunt.7.& 14.dies,quod non omnes alij dies habeant? Si de indicibus & in utilibus dubites, ſaltem decretoriorum ratio erit eadem omnium. Ego multò rectius Galenum cauſſas reddidiſſe paſſim in ſuis commentarijs,cur hi,non verò alij morbos iudicent,puto, quàm in præſenti loco. Et in hoc ipſo libro falſis veras cauſſas permiſcuit. Non ex luna repetendæ videntur cauſſæ, ſed in ipſa agentis cauſſæ natura,ſcilicet in humoris quantitate & qualitate,in corporis ſtructura,in virtutis robore aut imbecillitate, in perpeſſi loci conditione, & in alijs talibus quærendam potius exiſtimo,vbi etiam inueniri eam certò mihi perſuadeo. Sed hæc quoque extra rem dixi. Feci verò ob eam cauſſam, vt neque Galenum vobis, nec vos Galeno conſentire cerneretis. Vale. Die 17. Auguſti. Masfeldiæ.

THOM. ERASTVS D. CHRISTOphoro Stathmioni Medico Coburg. S. D. *Epiſtola III.*

CVM heri veſperi ex Thuringia domum reuertiſſem,tuæ mihi redditæ ſunt literæ. Quas cum longiuſculas eſſe viderem,non mediocri voluptate affectus ſum. Nam fructum aliquem ex illis me percepturum confidebam. At cũ legere incœpiſſem, antiquam te cantilenam canere deprehendi. Etſi verò nihil propè ſit, cui non antè reſponderim,placuit nihilominus iterum tibi reſpondere,non quidem ad conuicia, ſed ad ea quæ ad propoſitam nobis controuerſiam propius accedere vidẽtur: Hoc modo in ſuperioribus literis ratiocinatus fui: Solus Deus nouit futura contingentia. Aſtrologi non ſunt dij,ſed homines,vt nos ſumus,mortales. Nõ poſſunt igitur arte aut induſtria in horum præſenſionem peruenire. Dixi poſtea,ne qua relinqueretur in verbis obſcuritas,me de illis loqui contingentibus, quorum cauſſæ vel ignorarentur,vel nondum agerent: vel ſi agere incœpiſſent, nobis nondum innotuiſſent. Hæc ſi tu candidè interpre-

Digitized by Google

terpretari voluiſſes, non tam abſurda & aliena effutiuiſſes. Quamuis autem ſupra exemplo rem, breuiter licet, declaraui, non grauabor tamen eandem exemplis tum Medicorum, tum Nautarum iterum exponere.

Medicus cum in vrinis videt naturam incœpiſſe iam morbi cauſſam euincere & concoquere, ac prçterea quouſque progreſſa ſit perſpicit, artificioſa coniectura colligit hoc vel illo tempore totam ſuperatam iri, vt criſim expectare tum poſſit. Similiter etiam Nautæ ex motu vaporis aut nubeculæ in aëre futurum ventum tempeſtatemque cognoſcunt. Vtrique non ante intelligunt, quàm effectus iam fieri, ſiue quam cauſſas proximas iam agere incœpiſſe perſpexerint. Iſta cauſſarum actio quia ab initio pertenuis & obſcura eſt, à peritis tantum & exercitatis in qualibet arte deprehenditur, vulgares & imperitos latet. Vt igitur nec Nautæ futuram tempeſtatem ſerenitatem úe præſcire, nec Medici morbi finem & euentum præuidere poſſunt, quam vtrique propinquę & propriæ cauſſæ actionem incępiſſe cognouerint, ita omnes alij artifices futura prædicunt, in ſua quilibet arte. Quod ſi proximam cauſſam ignorent, illud autẽ agere cœpiſſe videant, quod illam excitare cõmouereque poteſt, ratio eadem omnino exiſtit. Ex iſtis, niſi me prorſus fallit mea de te opinio, apertè perſpicies quid per contingentia intellexerim, id quod hactenus intellexiſſe non videris. Sic enim ad ſupradictum argumentum reſpõdes: *Maiorem tuam nego, falſamq́ eſſe pronuncio.* Quid ita Stathmion? *Quoniam*, inquis, *omnem præſcientiam, non eam tantum quæ ex aſtris ſumitur, tollit.* Quàm erudita ſit reſponſio iſta tua videamus.

Nõ ſequitur, ſi ſolus Deus norit futura cõtingẽtia, omniũ propterea rerũ præſcientiam è medio tolli, ſed contingentiam tantum, non autem neceſſariorum. Deinde non omnium contingentium, ſed eorum duntaxat, quorum cauſſæ vel non ſunt notæ nobis, vel nõdum agunt, vel ſi agunt, non ſciuntur à nobis agere. Sic quæ de Medicis & Nautis adfers, quibus te deleuiſſe argumentum, quod rectè indiſſolubile vocaui, putabas, inefficacia & elumbia prorſus eſſe

Digitized by Google

cernis. Vtrique enim non de contingentibus illis vaticinantur, de quibus argumentnm loquitur, ſed de illis ſolis, quæ iam fieri producique vel in cauſſis vel aliter animaduerterunt. Equidem nullus reperietur Medicus, niſi ide fortè ſit etiam aſtrologus, qui ſe de certi alicuius hominis morbo aliquid pronunciare ante poſſe credat, quàm naturæ actionem in morbum, eiuſdemque cauſſam perdidicerit, quanta ſit, quouſque progreſſa ſit, quando incœperit, & quæ his ſimilia ſunt. Quare minimè probaſti falſam eſſe meam propoſitionem, quæ immota adhuc ſuo conſiſtit loco, & ab omnibus omnium aſtrologorum machinis facile tuta permanebit.

Quæ de certorum dierum obſeruatione, quos Germani loſstag nominant, ſcribis, magnam mihi admirationē attulerunt. Fieri poteſt, vt, cum tot ſis iam annos natus, nec dū perdidiceris, vix vnquam euenire (& ſi quandoque ita euenerit, caſu fuiſſe factum) vt annus illis diebus reſpondeat. Non neſcis, arbitror, multos etiam Aſtrologos confiteri, nullam hanc dierum obſeruationem in natura cauſſam habere. Alia eſt ratio temporis, quod in cædendis lignis obſeruatur. Hoc enim certam habet euidentemq; cauſſam. Similiter aëris mutatio ſub exortum Pleiadum, Arcturi, & ſimilium non ſine ratione plerunque expectatur ſimilis, quemadmodum etiam æſtas & hyēs, & etheſię & huius generis alia quædam. Hæc, inquam, partim ad neceſſariò euenientia (vt in natura neceſſitas conſideratur) partim verò ad ea quorum cauſſæ iam agere incœperunt, referuntur. Quòd ſi ſol moueretur aliquando, mox non moueretur, neque nobis motus ipſius natura & tempus non tam foret, nec eſtatem nec hyemē præuidere ante poſſemus, quàm perciperemus, aut certe quàm ſolem vel accedere ad nos, vel recedere à nobis incœpiſſe percognouiſſemus.

Hinc vides nō tam eſſe me rudem & hebetem, vt propoſitioni diſtinctionem addere neſciuerim, quod parum verè de me ſcribis. Vtinam tam rectè tu eam intellexiſſes; quā bono ego conſilio addidi, certè non tam abſurdè fuiſſes interpre-

terpre-

terpretatus. Nõ enim de contingentibus locutus ſum, quę cauſſis carent. Quis enim hoc apud ſe cogitet? Nihil abſque cauſſa fieri à qua producatur, notius eſt, quàm vt ignorare potuerim. De illis locutus ſum, de quibus me iam ſatis multa diſputaſſe exiſtimo. Non ideo contingentia aliqua carent cauſſis, quia nos eas aut non nouimus, aut non ante nouimus, quàm effectum ſuum producere incœperint. Quamobrem plumbea, imò herbacea tela ſunt, quæ in propoſitionem noſtram contorquere tibi viſus es.

Eſt quòd gaudeam, quòd cauſſam mihi recitas, cur me amethodum in ſuperioribus literis, ſtupidum & indoctũ appellaueris, ſcilicet quia me Dialectices imperitum animaduerteris. Quantam tibi huius facultatis peritiam arroges, tuæ declarant literæ. Quàm turpiter te ipſum fallas, eædem docent. Vbi mox tua quædam examinare cœpero, tuam in diſſerendo peritiam obiter attingemus. De Ptolemæo hic nihil dicam, præſertim cum propter occupationes mihi feſtinandum ſit. Si, quantus ille Philoſophus fuerit, ſcire cupis, lege ipſius libros, non quidem vt Aſtrologus, (ſic enim aurea eſſe omnia prædicabis) ſed vt Philoſophus, & tantus, quantus videri vis, Dialecticus. Specimen quoddam philoſophiæ Ptolemæi in libello Hieronymi Sauonarolæ, viri nunquam ſatis laudati, à me conuerſo & edito reperies, non vno tantum in loco. Quòd ſi tu probabis, quæ ibi rectè reprehenduntur, fruſtra ſperem te de meis rebus rectè iudicaturum. Hactenus ad primam epiſtolæ tuæ partem reſponderim.

In ſecunda parte acerbè me reprehendis, mendacijque accuſas, quòd Galenum in curandis morbis Aſtrologica decreta non obſeruaſſe ſcripſi. Deinde quòd nihil vtilitatis Medico ad opera artis rectè exercenda conferre dixi. Vtrunque verum eſſe per ſe patet. Sanè ſi aliquo in loco Galenum in curationibus Aſtrologicos ſiderum aſpectus obſeruaſſe docueris, errorem libenter confitebor. Si ad 3. de diebus decret. prouoces, ne ibi quidem reperies, quibus tuã ſententiam confirmes. Etenim Galenus ipſe in eo libro apertè ſatis teſtificatur, diſputationem illius libri nihil ad-

ferre commodi artem exercitanti. Quod hic obſcurius dixiſſe videri poteſt, in 4. Aph. 36. explicatiſſimè affirmat. Per ocium inquirere talia cum iuſſiſſet (idem alibi quoque fecit) tandem ſic ſcripſit: τὸ μὲν εἰς τὴν χρείαν τῆς τέχνης διάφορον, ἐν τοῖς πρώτοις ὑπομνήμασι δύο διελθόντες, τὰς δ' αἰτίας αὐτῶν ἐν τῷ τρίτῳ πειραθέντες ζητῆσαι. Quomodocunque interpretari iſta coneris, ſemper tamen quod affirmaui verum eſſe comperies. Sed & ipſum libri propoſitum ſuis argumentum idem probat. Nihil enim de curationibus ibi docet, ſed rationem duntaxat adferre ſtudet, cur ex diebus alij quidem decernant, alij verò non decernant, & cur alij in iudicando alijs fortiores tutioresque exiſtant. Has, inquit Galenus, rationes qui ignorauerit, (modò reliquorum nihil ignoret quæ ab eo in alijs commentarijs expoſita fuerunt) rectè poterit ægrotos & cum gloria curare.

Sed quid opus eſt probatione cum tumet tuis in literis idem affirmes? Sic enim tu met ſcribis. Verum hoc dicit (Galenus) quòd 3. liber, ſi cui videatur difficilior propter diſputationis ſubtilitatem, quæ vulgo Medicorum non conuenit, ſed eruditis & Arithmeticæ Aſtronomiæque peritis, bona ratione præteriri queat, cum cauſſarum inquiſitio, cur dies decretorij ſint, nihil ad curationes iuuet Medicos. Hæc tua ſunt. Quomodo ergo me, cum Galenum iſta ſcripſiſſe affirmaui, mentitum eſſe ais, cū aliud in his ſcripſerim, quàm quod tutemet Galeno tribuiſti? Si verò tu de Galeno dicere hoc potuiſti, cur ego non potui? Sed hoc omnibus penè accidit, qui veritatem oppugnant, vt, quòd ipſi faciunt, in alijs damnent. Ergo cum Galenus nullibi legatur in morborum curatione Aſtrologica decreta Medicinæ coniunxiſſe, & illam ipſam de aſtris diſſertationem, quàm in 3. illo libro legimus, minimè vtilem ac neceſſariam, ad artis opera rectè exercenda Galenus tuo etiam iudicio affirmet, liquet vtrumque à me rectè dictum fuiſſe.

Sed quid te deceperit video. Quando cum Galeno inquiſitionem ac notitiam cauſſæ dierum decretoriorum,

vt

vt à Galeno traditur, inutilem eſſe Medicinam facturo ſcripſi,tu me idem dixiſſe putas, ac ſi ad Medicinam inutilem eſſe affirmaſſem. Verumtamen multa nos ἐν τῇ θεωρίᾳ ſæpe inquirere conſtat,quæ inter agendum nobis non ſunt vſui. Cum enim in ſcholis artem profitemur, multorum cauſſas perueſtigare tentamus, quorum in operibus artis τὸ ὅτι ſcire ſufficit. Hinc Ariſtoteles rectè affirmauit,ibi elegantem ordiri Medicum,vbi Philoſophus deſierit. Oſtendit etiam Galenus multas in arte noſtra iam olim quoque logicas quæſtiones omnem artis vſum excedentes agitatas fuiſſe. Hæc tu tantus logicus quomodo non animaduerteris & diſtinxeris non parum admiror.Sed iam tempus eſt vt ad eam ratiocinationem deſcendamus, qua te efficaciter probaſſe opinaris, Aſtrologiam Medico neceſſariam eſſe.

Si mihi concedas, inquit, Hippocratis ac Galeni doctrinam perfectiſſimam eſſe, & præcipuè Medico imitandam, ac vtrumque diligenter dies criſimos obſeruandos præcepiſſe, vt qui magnum medentibus vſum præſtent. Et (præterea des) Galenum demonſtraſſe, cauſſam horum dierum lunam exiſtere, etiamſi te in omnes formas inſtar Prothei tranſmutes, tamen lunæ curſum Medico obſeruandum eſſe fateri cogeris ad intelligendas criſeis videlicet menſtruas. Hactenus tua recitaui. Si tibi dedero & conceſſero quidquid propones, probabis perfacile quicquid voles. Hippocratis ac Galeni doctrinam libenter ſummoque ſtudio amplector. Dies criticos Medico rectè curaturo maximè obſeruandos eſſe fateor. Sed non ideo non erraſſe Galenum, cum in luna veram eorum cauſſam quærit, concedo. Sed vt tuam incogitantiam planius perſpicias, ecce dabo tibi in præſentia Galenum rectè vereque demonſtraſſe cauſſas dierum decret. ad lunæ motum pertinere. An hinc efficietur Aſtrologiam Med co neceſſariam eſſe ad exercendam artem? Dico Aſtrologiam, propterea quòd per motum lunæ te hanc intellexiſſe ſuſpicor. Niſi enim hæc fuerit mens tua, nihil ad rem dicis. Deinde cum mox aliorum quoque errantium

ſiderum motus neceſſarios eidem eſſe ſcribas,facile quid ſenſeris apparet.Ad rem redeo.

Etiamſi Galenus probaſſet lunæ motum veram & proximam criticorum dierum cauſſam eſſe,non vniuerſalem ſolum,non tamen neceſſaria futura fuiſſet illa motus lunæ conſideratio artis opera exercenti, vt ex Galeno te ipſo teſte ſuprà oſtendi. Deinde ſi ad theoriam aliquid faceret, non neceſſariò in opus referretur. Multa namque exquiri in theoria,quæ in vſum non veniunt,imò vſum tranſcendunt,ex ſuprà dictis patet. Poſtremò conſtat illud etiam, Galenum talia inter curandum nunquam obſeruaſſe.Hæc inquam ſi Galenus propoſitum validiſſimè probaſſet, cõcedere nihilominus cogereris. Atque ex his tuam logicã diſce. Cæterùm nihil probaſſe horum Galenum certum eſt. Quare multo minus obtinebis. Tu quidem, quia vocem ἀποδείξεως vſurpauit, demonſtraſſe ipſum omnia putare videris. At falleris plurimuum ſi ita exiſtimas. Nonenim in proprio ſemper ſignificato hac dictione vtitur.

Argumenti quod pro Galeno, ex ipſo maiore deſumta ſtruis, hæc eſt ſumma. Omne naturale principium iuxta lunæ & aſtrorum circuitus mutatur, alteratur, diſponitur. Ad hoc probandum fruſtra tot verba quot ſequuntur,fundis.Totum enim pro confeſſo tibi do,modo vniuerſali ratione cœlum iſta facere intelligas. Aliter enim vera non fuerit ſententia. Adijcis deinde aſſumtionem,principium illud à quo morbi magis vno quàm alio die commouentur & iudicantur,eſt naturale. Ergo à motu lunæ & aſtrorum afficitur,mutatur,diſponitur. Omnia ſunt vera,ſed tibi nihil proſunt. Quis neſciat aliter affici hominem à luna febre pituitoſa laborantem,& aliter biliosa ægrotantẽ? Si igitur eodem tempore luna homines aut res diuerſas, diuerſo modo,quamlibet nimirum pro ſua natura afficit, vniuerſali ratione id,vel ob eam tantum rationem, fieri,à nemine ſano dubitari negariúe poteſt. Ergo cum demonſtratio per cauſſam fiat proximam & propriam, Galenus autem remotiſſimam maximeque communem attulerit, neceſſa-

neceſſario ſequitur ipſius probationem non eſſe veram demonſtrationem. [illegible]ides nihil te probaſſe,& rectè à me dictum fuiſſe diſceptationem Aſtrologicam in 3. de diebus criticis nihil præſtare commodi ei qui ægros rectè curare ſtudet. Equidem philoſophus ille qui quadratum circulo æquale ſe demonſtrare putabat, longè melius ex probabilibus ratiocinabatur, hoc modo: Vbi poteſt maius & minus inueniri, ibidem reperiatur etiam æquale. At in circulo quadrato reperitur maius & minus. Ergo æquale etiã inueniatur. Quid ad hæc Ariſtotelis? Ridet, ac nihil probatum eſſe affirmat non ſine optima ratione, quia ſcilicet ex communibus conflata eſſet ratio. Quid ad argumentũ Galeni dicturum fuiſſe cenſes?

Age breuiter repetatur. Mutationum naturalium omnium aſtra cauſſæ ſunt. Morborum permutationes ſiue motiones ſunt naturales quædam mutationes. Aſtra igitur harum cauſſæ ſunt. Vides in ipſis expreſſum verbis, tacitè tamen, aſtra vniuerſales cauſſas eſſe. Etenim ſi ſunt rerum omnium cauſſæ, etiam hominis, leonis, brutorum omnium, & herbarum & cæterarum rerum vniuerſarum atque earũdem motionum ſiue mutationum cauſſæ ſunt. At quis eſt tam iners, qui harum rerum ortum ad cœlum potius referat, quàm ad veras & vniuocas earum cauſſas? Dicendum igitur eſt, aſtra ita eſſe criticorum dierum ſiue motionum naturæ, quæ illis fiunt diebus, cauſſas, vti ſunt rerum iam enumeratarum omnium cauſſæ. At non ſunt harum cauſſæ aliter quàm modo generali. Proinde nihil hac ratione probas aliud, quã generales cauſſas eſſe, quod ego nunquam, quod quidem meminiſſe queam, negaui. Addantur cætera.

Inter aſtra maximè agunt ſol & luna. Sed critici dies nõ ad ſolem reducti poſſunt. Ad lunam ergo referri debebũt. At hæc ſeptimo ferè die eſt dichotomos ſiue quadrata, & decima quarta die plena. Ergo dies ſeptimus & decimuſquartus potentiores ſunt cæteris. Tunc enim euidentius luna agit. Hac eadem ratione, ſi pro veriſſimis ambæ propoſitiones admittantur vtriuſque, dico, ſyllogiſmi, aliud

Digitized by Google

nihil probabitur, quàm illos dies cæteris felicius & efficacius iudicare, qui in lunam vel qua[illegible]am vel plenam inci dunt, propterea quòd tum lumen [illegible] eſt efficacius, quàm antè. At hoc modo magis decernet 9. quàm ſeptimus. Et 11. efficacior erit omnibus præcedentibus. Sed ſufficiat indicaſse, quomodo iſta ſint vera. Deinde quòd nihil patrocinentur Aſtrologis.

Inſcitè etiam improbas, quòd naturam criſes efficere dixi pro humorum qualitate & quantitate, ac alijs circunſtantijs. An tu nunquam legiſti, Naturas morborum indicatrices ac medicatrices eſse? Poſt hæc qua in parte Galeni demonſtratio peccet, oſtendi tibi cupis. Si quæ dicta mihi ſunt hactenus recto iudicio examinare voles, abundè perſpicies quid de argumento Galeni ſentiam. Mox hæc addis.

Tu ne igitur effectus aſtrorum in ſublunaribus deprehendi poſse negas? Experientia enim nihil aliud eſt, quàm ſenſuum confirmatio. Hæc tua ſunt. Vires aſtrorum vniuerſales deprehendi poſse, præcipuè ſolis ac lunæ ſæpe dixi. Addidi ne momento quidem hunc inferiorem mundũ, aut actiones ipſius conſiſtere poſse, niſi perpetuò à cœlo regatur. Exemplo cordis, quomodo intelligam, expoſui. Hoc tu exemplum ieiunum eſse ſcribis atque eiuſmodi, quo memet ipſe inſtar furioſi, proprio ſcilicet enſe iugulẽ. Pro confirmatione addis: *Hæc enim (cordis videlicet ſimilitudine) ſentiri, & euidentes eſſe aſtrorum effectus clarè concedis, quos tamen eoſdem rurſus velut attonitus quiſpiam nunc negas.* Non ego Stathmion attonitus ſum, ſed tu potius, qui quod planè & apertè dico non aduertis. Nolo enim dicere non intelligis. Particulares illas aſtrorum actiones, de quibus Aſtrologi multa nugantur, eſſe ac deprehendi nego. Vniuerſales ſentiri non eo inficias, ſolis præſertim atque lunæ. An falſi aliquid tibi dixiſſe videor, cum fictitias illas aſtrorum vires ſiue actiones percipi à nemine poſſe aſſerui?

Neſcio quid in mentem tibi venerit, aut quid tibi velis cum experientiam nil aliud eſſe aſſeueras, quàm ſenſuum confir-

Digitized by Google

confirmationem. Secus eam nobis Ariſtoteles, Galenus alij auctores deſcribunt. Velim cum diceres Ariſtotelem & Galenum aſtra non pro vniuerſalibus tantum cauſſis effectuum ſublunarium (intelligo particularium) agnouiſſe, locum aliquem ex operibus eorum produxiſſes, quo ſententiam tuam probaſſes. Ego certè nullum inuenire huc-uſque potui. Tu quoque tametſi longo tempore quæras, nullum inuenies. Non enim aliter locuti ſunt, quàm vniuerſales cauſſas eſſe cœlos horum inferiorum ſiue terrenorum.

Quæ iam ſequuntur in tuis literis fateor me non intelligere. Si enim interpretari velim iuxta verba, tam eſt abſurda eorum ſententia, vt te quidvis potius, quàm quod illis verbis ſignificatur, cogitaſſe ac ſenſiſſe opiner. Repetā proximè dicta, vt ſententia fiat planior. Ea ſic habent. Has enim (cordis ſimilitudine) ſentiri & euidētes eſſe aſtrorū effectus clarè concedis, quos tamen eoſdem rurſus, velut attonitus quiſpiam nunc negas. Niſi fortè per effectum alterationem intelligas, & dicas, alterationem dum afficimur ab aſtris, non ſentiri aut deprehendi poſſe. At tute noſti ἀλλοίωσιν οὐκ εἶναι αἴσθησιν, ſi non ex Ariſtotele, ſaltem ex Galeno. Quapropter alteratio niſi ſenſibilis fiat, effectus dici non poteſt. Donec enim effectus ſenſu non iudicatur, effectus dici nequit, nec eſt. Hæc tua ſunt verba, quorum libenter ſenſum ex te ipſo didicerim.

Mox, inquis, nihil referre ſiue vniuerſali ratione ſiue particulari agant in hæc inferiora cœli. Si tua non refert, quod equidem credo, mea multum refert, qui non defendere nugas, ſed veritatem inueſtigare enitor. Quantum referat ex illis quæ hactenus diſputata nobis ſunt, præclarè cognoſces, modò animum aduertas. Si nāque vniuerſales duntaxat cauſſę ſint aſtra, fluxa & inutilis eſt Galeni ratiocinatio, ſi id ſenſit, quod tu putas. Præterea eſt tota Aſtrologica vaticinatio nil aliud quàm merum figmentum & ludibrium Sathanæ. Si res aliter habet, non prorſus erraueris. Tantum intereſt hoc ne an illo modo cœli agant. Quæ te non ignorare decebat, ſi tantus es, quantum te eſſe

prædicas,logicus.

De menſe Medicinali nihil admodum dicam in præſentia, propterea quòd cõmentum hoc ne peritioribus quidem Aſtrologis probare Galenus potuit. Nemo ſanè doctus inde à Galeni vſque temporibus inuentus eſt,cui non hæc partitio diſplicuerit. Tu qui tantum tibi logices peritiam arrogas,rationem tecum Galeni ſtudioſe expende, vt me nihil temerè dicere perſpicias. Et vt facere commodius poſſis,pro mea tenuitate te adiuuabo.

Menſis peragrationis, ſi cum apparitorio coniungatur, & ſumma per medium diuidatur,atque medietas quadripertito rurſus ſecetur,atq; ex partibus quatuor hiſce, tres tantum coniunctim ſumantur, orientur dies 20. horæ 4. cum aliquot minutis. Hoc fundamentum eſt. Iam ratiocinatio breuiter hæc ſit. Proximè dicta ſumma propinquior eſt viginti, quàm viginti & vno diebus: ergo vigeſimus,non autem vigeſimus primus eſt decretorius. An tibi probabilis hæc ratiocinatio videtur? Mihi ſanè non probatur,vt nec vllis alijs, qui non prorſus nihil hîc vident. Cur puerili iſto tibi argumento vſus videtur? Reſpoudes & quidem rectè,meo iudicio, & Hippocratem oſtenderet benè 20. diem,contra quàm alij quidam Clariſſimi Medici feciſſent, decretorium ſtatuiſſe. Futura autem videbatur res credibilior,ſi alios etiam dies aliquot inde hoc accipere declararet. Hinc factum eſt,vt tertium illum librum ſibi ſcribendum duxerit. Hoc tu ſuprà negabas verum eſſe. Neque ego quamuis probabile ſit, de eo cum quoquam contenderim,vt antè etiam monui. Parum etenim refert ſiue hoc,ſiue alio quopiam conſilio eum librum conſcripſerit. Conſecutionis gratia hæc dixi,iam pedem refero.

Hortaris me poſtremo loco,vt cauillari deſinam,neque nugas ſcripſiſſe Galenum porrò dicã,ne ignominia illa in cuput meum redundet. Quicquid enim horum fecit Galenus,inquis,non fallendi aut decipiendi quempiam, ſed Hippoc. tuendi cauſſa fecit, nõ nugaci,vt tu illi iniurius es, ſed probabili ſanè ratione. Quàm ſit bona & veriſimili hac in parte vſus ratione,ſatis ſuperque dictum & declaratum

tum eſt. Cæteris omnibus miſſis, tuam in diſſerendo peritiam cõſiderare libet hoc etiam loco, cum ita argumentaris. *Galenus non fecit fallendi cauſſa, ergo non eſt nugatus.* Quid nugationem vocent logici, non eſt opus hic pluribus exponere. In præſentia ſufficiat monere, non eadem eſſe nugari & fallere. Poteſt enim quis infirma & friuola vti ratione, cum ſe firma admodum vti putat, nec aliter perſuaſus eſt. Non enim nugax ratio ſemper eſt ſophiſtica ſiue captioſa, ſi animum eius, qui ea vtitur, ſpectes. Sed frequenter pro infirma & lubrica minimeque momentanea, atque adeò pro ridicula ratione ſumitur. Nugator itaque poteſt non eſſe, poteſt etiam eſſe ſophiſta.

Quod neceſſariam me rationem à probabili non poſſe diſtinguere ſcriptitas, parum me mouet, dum video, quàm aptè ſciteque, ſi Dijs placet, tu inter ipſas diſtinguas. Sophiſtam me immeritò appellas, cum fallere nunquam argumentis vel te vel alium quempiam propoſitum habuerim. Si quid tale in meis literis repereris, imprudenti vtiq; excidit. admonitus non grauatè corrigam. At Galenus, inquies fortè, ita te appellat. Scio quid Galenus dicat. Nec ignoro pleraque poſſe commodè exponi. Vbi res poſtulet, non ſit admodum difficile oſtendere, non continuò ſophiſtam eſſe qui non credat, quæ illo in libro Galenus Aſtrologica ſcripſit. Cæterùm non cum Galeno, qui ſe defendere nequit, ſed tecum in præſentiarum res mihi eſt. Epiſtolæ tuæ ſatisfactum eſſe puto, quare finem facio. Die 5. No. Malfeldiæ.

THOMAS ERASTVS D. CHRISTOphoro Stathmioni, Medico Coburgenſi S. D.
Epiſtola IIII.

LITERAE illæ tuæ, quas Cal. Ian. ſcripſiſti, atq; ego ad ſeptimum Id. accepi, paulò mihi æquiores viſæ ſunt quàm priores. Hoc præcipuè in te iam deſidero, quòd non ſatis attentè mea legere, tuaque ſcribere videris. Quod ſi facere voluiſſes, nihil erat cur has ſcriberem. Sic enim quæ de Galeno adfers declarata & confutata mihi ſunt in ſuperiorib. meis ad te literis, vt hæc omnia ſuperuacanea cenſeri poſſint. Id vt dilucidius appareat, breuiter ea repetam. Dixi Aſtrologiam nihil artis opera exercēti commodare poſſe, etiamſi vera eſſe ponantur, quæ Gal. in 3. Decret. dierum propoſuit. Hanc meam ſententiam inde probari poſſe iudicaui, quòd Galenus in curando & prænoſcendo ea nunquam vſus fuiſſe reperiatur, neque nos, vt ea vteremur, iuſſiſſe alicubi legatur. Clariſſimos quoque omnium ætatū poſt Galenum Medicos, quorum nomē eſt illuſtre & monumenta per Galliam, Italiam, Germaniam, extant plurima, ſumma cum gloria & felicitate ſine Aſtrologiæ auxilio, quam & deſpexerunt & repudiarunt, medicinam exercuiſſe affirmaui. Quia verò te protinus videbam teſtimonium Galeni ex 3. decret. contra me producturum, addidi ſuo loco, me non ignorare quòd illo in libro plus æquo huic ei fauiſſe videretur, atque adeò ſophiſtas illos appellaſſet, qui nō fidem adhibere ſuæ ibi diſputationi voluiſſent. Quam autem non alij modò, ſed etiam Aſtrologorum aliqui Galeni ſtudium illud probarint, te non ignorare iam quoque exiſtimo. Monui etiam Galenum amicè exponi atque excuſari poſſe, præſertim quòd ad ea probanda, quæ illo in loco propoſita habebat, Aſtrologiæ aliquid tribuere coactus videretur. Nam quòd aliter ſenſerit, neque neceſſaria illa ad rectè medendum exiſtimarit, cùm ex illo ipſo libro, tum ex commentarijs in Aph. Hipp. patere poſſe docui. Etenim quæ vſum aliquem conferre ad artis opera

cenſuit,

cenſuit,ea ſe vniuerſa in prioribus duobus libris complexũ fuiſſe ſcripſit,quæ verò in 3. docuit,ea per ocium legi poſſe putauit. Quòd ſi ad artem exercendam vel neceſſaria vel vtilia exiſtimaſſet,nunquam id dixiſſet, præſertim cum indefeſſum vbique ſtudium in talibus requirat. Præterea in illo ipſo libro etiam indicia quædam inueniri ſcripſi, ex quibus intelligatur,eum ſibi neque ſatisfeciſſe, neque cauſſæ ſatis cõfidere potuiſſe. Per Deos immortales iurat,quod alibi non ſolitus eſt facere,ſe inuitum & coactum ea planè paucis ſcripſiſſe amicis. Poſtea cum horum alibi meminit, non pro ſua conſuetudine confidenter aſſerit ſe ea demonſtraſſe,ſed ſe tentaſſe ea probare aut inuenire tantum dicit. Locum ex Aph. produxi. Alter eſt in 3.Comment.in Prognoſt.Hippoc.Equidem quoties alibi hoc libros citat, quantum obſeruare hactenus potui,propter priores duos citat,in quibus quæ docuit,vtiliſſima maximeque neceſſaria meritò cenſentur. Hæc ſi non ordine & deinceps, ſed ſparſim in prioribus poſui,factum ob eã eſt cauſſam, quòd tibi reſpondendum mihi memini. Ideo paſſim ea tuis ſolum oppoſui,quæ ad propoſitam mihi in quouis loco ſententiam declarandam ſufficere viſa ſunt. Quòd ſi tibi colligenda & examinanda duxiſſes,ex alijs Galeni libris teſtimonia conquiſiuiſſes,non ex hoc tertio citaſſes,in quo ipſum Aſtrologica non aſpernatum fuiſſe,iam antè confeſſus fueram.

Vt autem non querare poſthac, age ex Galeno perſpicuè valideque probabo, eum in curando & præſagiendo Aſtrologia nequaquam, ſed ſola arte Medica vſum fuiſſe. Conqueritur non vno in loco tantum Galenus, quòd pro uate habitus ſit,& quòd,quæ prædixiſſet aliquando, diuinatricis alicuius artis ope præcognouiſſe creditus fuerit. Ne ſim longior,vnicum ex tertio cap.libri de Præcognit. ad Poſthumum teſtimonium huc adſcribam, vbi de Martiano medico loquens ita ſcribit: *At adeò non ex medica facultate,verùm ex diuinatricibus ſcientijs prædictiones meas fuiſſe mentiebatur,interrogatusq́; à quibuſdam,quaſnam diuinatrices ſcientias diceret,interdum augurium, interdum extiſ-*

ſpicium, nonnunquam coniectatricem, aliquando Mathematicam reſpondebat. At non explicatis hîc verbis audis Galenum accuſare Martianum Medicum mendacij, quia dixerit ipſum vſum in prænotionibus mathematica ſiue Aſtrologia? Non puto pluribus opus eſſe, præſertim ſi addidero, Galenum multis in locis docere, quomodo futuri morborum euentus prȩuidendi ſint, & in nullo tamen Aſtrologiȩ mentionem vnquam feciſſe. At ſi vtilem aut neceſſariam ad hæc prænoſcenda cognouiſſet, nunquam omiſiſſet. Etenim aliorum nihil omittit, quamtumuis exiguum cōferant, vbi iſta ex profeſſo tractat.

Præterea quoties narrat quomodo in ȩgris aliquando futura ſiue criſes præſenſerit, omnia ex quibus intellexerit enumerat, Aſtrologiȩ ne ſyllaba quidem vna commeminit. An non ſatis tibi hæc ſint ad intelligendum, quòd nullibi ea ſit in curationibus ipſe vſus, nec vtendum ea nobis exiſtimarit? Hæc ſi cū a[illegible]è recenſitis coniunxeris, haud difficulter videbis, quæ in 3. Decret. ex Aſtrologorum placitis protulit, minimè vel neceſſaria vel vtilia ipſi viſa fuiſſe ad ægrorum curationes. Quibus illud etiam addi poteſt, quod in illo tertio ipſi non fuit propoſitum docere, quomodo criſes eſſent prænoſcendæ, vel ægri percurandi. Illud ſolum inueſtigabat, an ratio aliqua inueniri poſſet qua probaretur, naturam vno die facilius & felicius decernere quàm alijs. Hoc enim experientia notum erat, ſed cur ita vſuueniret, eo in loco indagare decreuerat. Ergo cum in prædictionibus Aſtrologia non ſit vſus Galenus, vt probatum eſt, ne in curationibus quidem ea vſus credi ab homine ſano poterit. Nam ſi vſus aliquis ipſius ſit, in prænotione futurorum eſſe oportet, vel ipſis Aſtrologis teſtibus. Quod ſi vſus ipſe non eſt, an nobis ea vtendum putauit? Nihil minus credibile eſt. Iam, opinor, intelligis prudentiſſimè feciſſe, atque etiam nunc facere, præſtantiſſimos per Italiam & Galliam Medicos, cum Galenum imitantes, ex Medica arte, non ex aſtris de euentu morborum coniectāt ipſi, & coniectare nos præclarè docent. Horum ego autoritate, & præterea falſitate impietateque Aſtrologicarum

n ugarum

nugarum permotus, Aſtrologiam nihil ad curationes cõferre bene, rectè, vereque dixi. Iam ad tuas literas redeo.

Locum, quem ex 4. Aph. 36. produxi, nihil ad rẽ facere ais; imò iugulare me eundem illum ſcribis. Quid tibi velis neſcio. Ego Galenum eo in loco affirmare aſſerui, quòd quæ ad opera artis vtilia cenſeri debeant, in prioribus duobus libris perſecutus ſit, cauſſas verò in 3. reddere tentarit, quas per ocium legi poſſe dixerit. Hic tu quid reprehendere poſſis, equidem non video. At *experientiam*, inquis, *negas*. Nunquam ego negaui, imò ne dubitaui quidem aliquando, alios dies magis feliciusque decernere, quã alios. Nihil omnino improbo ex omnibus quæ in præſenti loco Galenus aſſeuerauit. Sic ſentio, Galenum, ſi, quę in 3. de diebus Decret. diſputauit vtilia ad exercẽdam Medicinam cognouiſſet, non fuiſſe permiſſurum, imò præcepturum, vt per ocium talia exquireremus. Non enim quæ neceſſarium in arte vſum habent obiter addiſci debent, ſed ſummo ſtudio cognoſcenda ſunt. Quod experientiam me negare dicis, quomodo probaturus ſis nequaquam intelligo. Quanquam ſi verè id de me dicere poſſes, non tamen hic rectè argueres. Negas experientiam, ergo hic te locus iugulat. Egregia verò ratiocinatio. Sed de tua logica poſtea. Fortaſſe arbitratus es me experientiæ aliquid detrahere, quia dixi particulares iſtas ſiderum effectiones, quas Aſtrologi ſomniant, nulla experientia oſtendi atque cognoſci poſſe. Etenim quod non eſt, cognoſci nequit.

Proinde nihil habes, quo mihi hunc locum è manibus eripias, quo validè neruoſeque probatur, Aſtrologicam Galeni diſſertationem, quæ in 3. Decret. continetur, nihil iuuare Medicas curationes. Adde quod Galenus primum ſe fuiſſe ſcribit, qui Decret. dierum cauſſas in lunæ motu quæſierit. Quod hinc etiam credibile fit, quia nullus eſt ex antiquioribus Galeno Medicis vel ab ipſo, vel ab alio quopiam citatus, qui huc propriè pertineat. An tu ante Galenũ neminem rectè curaſſe ægros iudicas? Certè ſi neminem alium extitiſſe contendas, ipſum ſaltem Hippocratem mihi relinques. Quid igitur pro te excogitabis, vt Galeni illã

Digitized by Google

Aſtrologiam vſui nobis eſse doceas ex Galeniſententia? Locum adfers ex I. cap. libri ad Poſthumum, quem ſi aliquid hîc probare exiſtimas, in doctiores multò quàm ego putem.

Quæ porrò ex libro peculiariter Aſtrologiæ dedicato (ita enim tu ſcribis) tanquam Galeni legitimo & genuino opere citas, reſponſione minimè digna ſunt. Tres leuiſſimæ coniecturæ te impulerunt, vt contra omnium doctorum iudicium Galeni eſse legitimum credas. Stilus eſt Galeni, ergo ipſe autor eſt. Argumentum huius ſimile eſt ei quod in 3. Decret. tractatur, ergo idem vtriuſque operis eſt autor. Galenus citat Dioclem. Hic autor citat eundem, ergo Galenus autor fuit. Hæ ſunt grauiſſimæ illæ tres cauſſæ, vt tu loqueris, quæ tibi perſuaſerunt Galenum iſta compoſuiſse. Quiſquis autor fuerit, parum Medicæ artis peritus fuit, quod omnes ij affirmabunt, qui cum iudicio perlegere volent. Ex ipſo ſtatim libri principio tum de eruditione, tum artis diſserendi peritia coniecturam capere licet. Ita enim ferè arguit, vt tu in tertia tua coniectura. Oro te conſidera quantus ſis logicus, vt cautius poſthac agas. Si quia Dioclem citat autor, Galenus tibi autor eſt, multos certè Galenus libros ſcripſit, quos nunquam vidit. Ex duabus aientibus in ſecunda figura nihil efficitur, niſi vera caſu aliquando inde exoriatur concluſio. Arte talis collectio prorſus caret. Stilum Galeni eſſe nemo præter te dicet facile. Quo fit vt laboris me hîc meritò pigeat. Simile argumentum, hic & in 3. Decret. tractari quomodo ſis probaturus, & quibus argumentis, libenter equidem videam. Ne prudentiores quidem Aſtrologi tibi hac in re aſſentiantur.

Ego quia petis, argumentis duobus hic longè firmiſſimè probabo non eſſe eum Galeni. Plura ſi quis cupiat, facile per ſe inueniet. Docti omnes Medici Galeno indignũ, & ab ipſius doctrina prorſus alienum iudicant. Negare nõ poteris ita rem habere, niſi ſi quod teſtatum notumque eſt cunctis, audacter negare velis. Addo alterum. Galenus in Catalogo ſuorum librorum huius non meminit, ergo non eſt autor. Si ergo nec Galenus pro ſuo eum agnouit,

uit, nec viri clariſſimi eruditione Galeno dignum cenſu e-
runt, miror quomodo plus tibi credas hac in parte, quàm
vel Galeno vel ſummis ingenio, iudicio, eruditione viris.
At Galeni catalogum, dices fortè, mutilum eſſe. Verum id
eſt, ſed in ea tamen parte, in qua recenſendus fuiſſet (fuiſ
ſet autem inter prognoſticos reponendus) mancus nõ eſt.

Cum cauſſarum alias dico eſſe generales & remotas, alias verò particulares & propinquas, tu me neſcio quid Eraſiſtrati ſimile facere pronuncias. An ignoras non me iſta excogitaſſe, ſed cauſſarum iſtam diſtinctionem ab omnibus philoſophis, qui vnquam extiterunt, agnitam, probatam, traditam fuiſſe? Si demonſtrationem, vt tu opinaris, non intelligo, vix ex te diſcam. Illud mihi hoc loco ſatis eſt, quod nihil tu meorum falſum docere hucvſque potuiſti, cum ego penè omnia tua refutarim, falſaque eſſe, aut ad rem nihil pertinere docuerim. De experientia quam me iterum affirmas negare, & alijs huius generis pluribus nihil præterea dicam. Nam aut reſpondi ad ea, aut extra rem propoſitam dicuntur.

Illorum verborum expoſitionem, quę nuper interpretari nolui, (ne, cum abſurdam continerent ſententiam, iniquè tecum agere dici crediq́ue poſſem) ita tu iam interpretaris, vt ego tum quoq; intelligenda fueram ſuſpicatus. Facile iam pręterijſſem, ſi non tu repetiuiſſes. Nõ enim meminerat amplius. Nunc perpendere examinareq́ue libet, vt non ſine errore te eſſe opineris. Dixeram particulares ſiderum vires & earundem actionis effectus, de quibus Aſtrologi loquuntur, ſentiri non poſſe. (Quis enim quod non eſt in rerum natura percipiat ſenſu?) generales poſſe. Et qualem eſſe putarem generalem iſtam vim cœli, exemplo cordis expoſui. Quod cum minus probè tu perpendiſſes, me, quod antè negaſſem, mox velut attonitum iterum affirmare ſcripſiſti. Et cum ſuſpicatus fuiſſes me reſponſurum, quod per effectus aſtrorum in hiſce terrenis rebus alterationem intellexiſſem, omnem mihi elabendi occaſionem pręcluſurus, nullam alterationem, qua alteratio eſt, effectum eſſe diciq́ue poſſe ſcribis. Quid aliud volueris,

excogitari non facile queat. Etenim ſi aliud voluiſſe rogiteris, nihil ad rem dicis, nec probas aduerſus me quicquã. Verba tua hæc ſunt: *Sic confirmauit (Galenus, aſtra in hæc inferiora agere) vt nihil opus ſit quicquam tua ſimilitudine cordis ieiuna, ad hoc probandum amplius, qua tamen tu te ipſum iugulas non ſecus quàm demens aliquis aut mentis impos proprio ſe enſe confodit. Hoc enim ſentiri & euidentes eſſe aſtrorum effectus clarè concedis, quos tamen eoſdem rurſus attonitus quiſpiam nunc negas. Niſi fortè per effectum alterationem intelligas, & dicas, alterationem dum afficimur ab aſtris, non ſentiri aut deprehendi poſſe. At tute noſti* ἀλλοίωσιν οὐκ εἶναι αἰσθητὴν *ſi non ex Ariſtotele ſaltẽ ex Galeno. Quapropter alteratio niſi ſenſibilis fiat, effectus dici nequit. Donec enim effectus ſenſu non iudicatur, effectus dici non poteſt nec eſt*. Hactenus tua recitaui.

Primùm non adduxi exemplum cordis ad probandum cœlos inferiora iſta permutare. Non ſum enim tam rerũ imperitus, vt neſciam exempla nihil probare. illud declarare exemplo eo volui, quomodo cœleſtia in hæc terrena agere concederem. Quare non memet eo confutaui, aut mihi contradixi, multò minus me iugulaui. Aliud eſt cum dicitur, cœlum vniuerſalem cauſſam eſſe permutationum huius mundi inferioris, & cum negatur eſſe particularis & propinqua ſeu proxima cauſſa eorum, quæ hic fiunt. Hanc poſteriorem cœli vim cum eſſe nego, & experientia nulla aſtrui poſſe aſſero, tu me falli probaturus, duo tibi ſumis non falſa modò, ſed etiam ab omni tum philoſophia tum eruditione aliena. Horum alterum eſt, Nullam alterationem eſſe ſenſum. Alterum verò, Effectum non aut eſſe aut dici effectum poſſe, antequam ſenſibilis ſit factus. Idem enim puto hæc duo (ſenſibilem fieri, & ſenſu iudicari) ſignificare. Sed præſtiterit fortaſſe in ſyllogiſmos redigere, vt clariora omnia fiant.

Cum probare ſtatuiſſes alterationem nõ eſſe effectum, ſic ratiocinaris. Omnis effectus eſt ſenſibilis. Nulla alteratio eſt ſenſus. Nulla igitur alteratio eſt ſenſibilis. Si in prima figura videre mauis, reducetur per minoris transpoſitionem

tionem & conuerſionem hoc pacto. Nullus ſenſus eſt alteratio. At omnis effectus eſt ſenſibilis. Nullus ergo effectus eſt alteratio. Et per conuerſionem, Nulla ergo alteratio eſt effectus. Si libet formetur ſic: Quod non eſt ſenſibile, non eſt effectus: Atqui alteratio non eſt ſenſus, ergo alteratio non eſt effectus. Vel ſic, vt tu poſuiſti. Alteratio nō eſt ſenſus, ergo alteratio niſi percipiatur ſenſu, non eſt effectus. In iſtis te tanquam in ſpeculo contempleris licet. Et ſi feceris, rectè ſanè facies. Sic enim quantus ſis logicus pariter & philoſophus diſcere incipies. Quomodocunq; rationem formare coneris, ſi tuas ſumtiones conſeruare voles, quatuor ſemper terminos reperies. Deinde non minus veram eſſe hanc argumentationem intelliges. Cor non eſt oculus, ergo non eſt corporis pars aut membrum, niſi videatur. Firmior certè hæc eſt quàm tua.

Sed videamus quomodo probes omnē effectū eſſe ſenſibilē (Alteram propoſitionē tam putas eſſe veram, vt ab Ariſtot. & Galeno probatam, & ab his diſcī poſſe putes. Tam es feliciter in his autoribus verſatus) Donec effectus non percipitur ſenſu, non eſt effectus, ergo omnis effectus ſenſu percipitur. Hoc pacto quiduis probaueris. Donec intellectio non ſentitur, non eſt intellectio, ergo intellectus actio ſenſu iudicatur. Donec coctiones, diſtributiones, nutricationes, auctiones ſenſu nō iudicantur, non ſunt hoc ipſum quod eſſe perhibentur. Ergo ſenſu iudicantur. Sed & contra tuam poſitionem argumentabor, & probabo alterationem omnem ſenſibilem eſſe. Donec alteratio non percipitur ſenſu, non eſt alteratio, ergo omnis alteratio ſenſu comprehenditur. Vel ita, ergo omnis alteratio ſenſus eſt. Non ego repentè tuam perdidici logicam? Docilem me eſſe fateberis, ſcio, cum meam hanc in te imitando induſtriam perſpexeris. Nolo hîc logica examinare amplius. De ipſis aliquid rebus dicam.

Apud quem tu autorem legiſti, effectum non eſſe quod dicitur, tantiſper dum ſenſu percipi nequit? Effectus non cum ſenſu, ſed cum efficiente ſui cauſſa confertur. Ab hac quatenus producitur, aut productus intelligitur, effectus

Digitized by Google

eſt ac nominari effectus debet, ſiue in ſenſus cadat, ſiue nō cadat. Ratio docet, quòd ab aliquo efficitur, id eiuſdem illius rei effectum eſſe oportere. Suſpicor te pro opere dixiſſe effectum. Verùm hîc etiam te ipſum falleres. Etenim naturæ actiones docet Galenus naturæ opera etiam eſſe dicique. Quid prætereà diceres motiones illas eſſe, poſt quas opus nullum relinquitur, qualis eſt ſaltatio, cantio, & huiuſmodi alia penè infinita? An non iſtæ omnes motiones, tametſi nihil quod permaneat efficiant, earum facultatum à quibus producuntur effectus ſunt, atque etiam opera? Non neſcio talia opera ab illis plurimum differre, quæ actione abeunte relinquuntur. Poſt ſcriptas literas, incidit mihi ſuſpicio, te per effectum intellexiſſe affectum. Verum quidem eſt, Galenum rectè affirmare affectum, διάθεσιν, antè non eſſe, quàm alteratio deſierit in permanētem qualitatem, hoc eſt, qualitatem eſſe, quæ permanet: aut certè permanere, ſi naturam eius conſideres, poteſt tū cum alteratio deſijt. Sed hoc ſi dicere voluiſti, neque contra me aliquid probaſti (Nulla enim nobis hac de re lis eſt) neque verum eſt omnem affectum eſſe ſenſilem. Omnes etenim diſpoſitiones ſiue affectus & habitus animi ſenſu nullo percipiuntur, vt de cæteris nihil dicam.

Porrò ne alteram quidem tuam poſitionem veram eſſe declarabo. Tu Ariſtotelem & Galenum teſtes aduocas. At hi viri tam abſurdæ & falſæ ſententiæ teſtimonium nullum vnquam perhibebunt. At verò in proximis, inquies, probaui. Itaque videamus probationem æquum eſt. Ratio tua in hiſce verbis conſiſtit. Nemo enim vnquam ſe pingueſcere aut macreſcere, longum aut breuem fieri, aut in ſumma, augeri minuiúe ſentit, licet auctū, minutum, iam clarè deprehendat, &c. Argumentum hoc eſt. Nemo ſe ſentit alterari, aut nemo alterationem percipit ſenſu, ergo alteratio non eſt ſenſus. Si antecedens verum ſit, hoc ſequeretur, alterationem non eſſe ſenſilem. At ſenſum non eſſe, quomodo ex poſitis conſequatur, tu videris. Ego omnibus omiſſis cæteris, de tua poſitione duntaxat aliquid dicam.

Senſus

Senſus apud philoſophos tria ſignificat, licet nomine ad tria iſta notanda abutantur aliquantum, ſcilicet actionem ſenſus, vt viſionem, inſtrumentum, vt oculum, & poſtremò facultatem, vt aſpiciendi virtutem. Sic propoſitio tua, qua alterationem ſenſum negas, vera concedi poterit, ſi pro inſtrumento, vel pro ipſa met facultate poſita ſit. Non enim alteratio poteſt alterutrum duorum eſſe. Falſum nihilominus erit, nullam alterationem eſſe ſenſum. Etenim ipſa ſenſio eſt alteratio quædam. At hęc aliquando ſenſus dicitur omnibus bonis autoribus. Senſus enim ex ſententia Peripateticorum, quorum princeps eſt Ariſto. atque Galenus (in eadem opinione Platonē fuiſſe vel ex ipſo Galeno cognoſcere promtum eſt) in quodam pati conſiſtit. Et omnis ſenſio eſt paſſio, non quidem corrumpens, ſed perficiens. Porrò omnem paſſionem eſſe alterationem tu met, niſi planè nihil intelligas, confiteberis. Hinc ſequitur, omnem ſenſionem eſſe alterationem: & per conuerſionem, quandam alterationem eſſe ſenſum. Falſa igitur tua eſt oratio, quæ nullam alterationem ſenſum affirmat. Nunquid melius ipſe tibi, quàm tu facias, quod volo perficere concludereq́ue videor? Si propoſitionem maiorem conuerteris, quod volo in tertia figura aptiſſimè conficies.

Quòd ſi obijcias te non pro generali hanc poſuiſſe orationem tuam, ſed pro particulari, facilis eſt reſponſio. Tu eam ſimpliciter veram iudicaſti, imò neceſſariam, quod ex tua probatione liquet. Quare pro generali poſuiſſe videris. Deinde niſi ita tu ſenſeris, nihil aduerſus mea attuliſti. Hoc enim propoſitum tibi fuerat probare, nullam alterationem effectum dici poſſe. Cæterùm cum particulares effectus aſtrorum nulla experiētia cognoſci poſſe dixi, quod ſcilicet vim habeant aſtra particulares effectus producendi, non de alterationibus ſolum id intellexi, ſed de rebus cunctis quæ & naſcuntur & intereunt non neceſſariò. Fruſtra igitur ſi quæ attuliſti vera maximè eſſent, illis me oppugnare tentaſſes. Sic ad interrogationem tibi reſponſum vides, qua quæris quid abſurdi, & à philoſophia alieni in tuis verbis deprehenderim. Cuncta namque cum à philo-

ſophia,tum à logica diſcordare perſpicis.

Rurſus me trahis ad diſſertationē de experientia.Succē- ſes mihi propterea quòd me non probare ſententiam tuã oſtendi,qua nihil aliud quàm ſenſuum confirmationem eſſe aſſeuerabas. In hiſce igitur idem illud pro tuo more eruditè hoc modo probas. *Cum enim ſit rei eodem modo ſæpius euenientis obſeruatio experientia, illud non tam de viſu, quàm de guſtu,olfactu, & tactu intelligi debet & ſolet. Vnde etiam addo illud, quod qui negat experientiam,eum etiam ſenſus ipſos negare. Quid ergo culpas hic quoque, niſi fortè nodum in ſcirpo quæris?* Hæc tua ſunt. Quid culpem quæris? Omnia ferè culpanda ſunt, ſed ego hoc loco non extra propoſitum egrediar. Tu experientiam aliud nihil eſſe ſcribebas, quàm ſenſuum confirmationem. Iam ſcribis eſſe eiuſdem rei eodem modo ſæpius factæ obſeruationem, vt à me doctus es. Quod ſi ergo prior tua ſententia vera eſt, & poſterior negari nequit, oportebit concedere duas iſtas tuas orationes idem ſignificare. At hoc falſum eſt. Culpo præterea ratiocinationem tuam,eſt obſeruatio rei eodem modo ſæpe factæ,ergo eſt ſenſuum cõfirmatio.Culpo etiã quod ſenſuum confirmationem dixiſti. Aut enim inſtrumenta, aut facultates aut actiones ſenſuum confirmabit. At horum nullum confirmare poteſt. Culpo quod nondũ didiciſſe videris,ex ſenſionibus eiuſdem in eodem modo euenientis, ſæpè repetitis, gigni memoriam, ex quarum deinceps collectione ſeu obſeruatione oriatur experientia. Culpo quod memoriam ſenſus confirmare putaſti. Memoria eſt quaſi quidam theſaurus ſimulachrorum per ſenſus ad animum ingreſſorum. Quæ licet à ſenſibus profecta ſunt, ad ſenſus tamen non redeunt. Vnde patet memoriam per ſenſuum actiones fieri, & ab his tanquam à cauſſa, non tamen ſine medio, procedere. Quomodo ergo ſenſus confirmabit,aut quomodo nil erit aliud, quàm confirmatio ſenſuum experientia, quæ ex multis memorijs,vt ſic dicam,coaleſcit conſtatúe? Culpo quod non cõſideraſti obſeruationem eſſe quandam veluti ratiocinationem,quæ neque eſt ſenſuum confirmatio, neque confirma-

firmationis eorum cauſſa. Opiniones quas de certis rebus habemus, per tales obſeruationes confirmari non neſcimus. At ſenſus quomodo confirment non intelligimus.

Suſpicor te hoc dicere voluiſſe, experientia opiniones, quæ per actiones ſenſuum ortæ ſunt, confirmari atque cōprobari. Similiter ferè ſupra quoque cum diceres ἀλλοίωσιν οὐκ εἶναι αἴσθησιν, cogor cogitare te dicere voluiſſe, ἀλλοιώσεως non eſſe ſenſum. Hoc enim probationes additæ ſignificare poſſe videntur. Verumtamen ſiue hæc ſiue alia quędam vtrobique intellexeris, aut te dicere putaris, non eſt cur diuinare velim, cum præſertim artem vaticinandi nullam (nulla enim extat) didicerim. Tua ita expoſui, vt tu ipſe ea intelligi voluiſti. Cum tibi per imprudentiam excidiſſe cogitarem, atque ideo vt corrigeres monerem, non modò nihil impetraui, ſed calumniari propterea à te creditus ſum. Iam opinor perſpicis, quo animo tecum hactenus egerim. Vale. 8. Id. Ianuarij. Maſſeldiæ.

THOMAS ERASTVS D. CHRISTOphoro Stathmioni, Medico Coburgenſi S. D. Epiſtola V.

CVm heri domum reuertiſſem, tuas reperi literas, in quibus tui ſimilis es. Miror te ne duplici quidem reſponſione contentum eſſe poſſe, ſed eadē identidem odioſe repetere. Excidiſſe ne tibi credam qua de re controuerſia inter nos ſit? Hoc quærebatur, An Galenus in curando Aſtrologia vſus fuiſſet. Ego nunquam ipſum adhibuiſſe multis oſtendi, quæ tu certè non labefeciſti. Cæterùm quia te ad 3. Decret. prouocaturum præuidebam, firmis coniecturis & ipſiusmet Galeni teſtimonijs probaui, Galenum illo in loco præter ſuam & voluntatē & conſuetudinem Aſtrologum fuiſſe. Non enim ignorabam te aliud nihil habiturum, ſi illum tibi locum extorſiſſem. Quod præterea neque conſiderit ſatis cauſſæ, id quoque eſt declaratum. Tandem copioſè demonſtraui eum præceptis illis Aſtrologicis in curandis morbis nun-

Digitized by Google

quàm vſum fuiſſe. Quæ cum ita habeant, libet iam videre, quo pacto refellere ea, quæ pro meæ ſententiæ confirmationem attuli, tentaueris.

Ad locum de Martiano Medico Romano reſpondes, nō dixiſſe Galenum quòd falsò ab eo ſit accuſatus, aut quòd mentitus ſit, cum ipſum dixit mathematica vſum. Ait, inquis, Martianum criminatum & cauillatum eſſe quaſi mathematicus eſſet. Διέϐαλε enim ſcribitur in textu, non ἐψεύδετο. Et hæc prima eſt reſponſio. Addis alteram hoc modo. *Poteſt hoc loco mathematica de non naturali diuinatione intelligi, quod ſpecies enumeratæ Augurÿ, Extiſpicÿ, &c. declarant.* Hîc me contra meam voluntatem grammatica, quæ ſupra data opera aliquoties diſſimulaui, tentare oportet. Cauillari Latinis duo ferè ſignificat, ſcilicet σκώπτειν aut κερτομεῖν, iocari aliquis dixerit, & σοφίζεσθαι, quam vocem cū Cicerone Latini omnes penè interpretantur verbo cauillari. Martianus ergo cum non luſerit aut iocatus cum Galeno ſit, quem propter inuidiam peſſimè oderat, cuiq; odium apud omnes conflare ſtudebat, ergo in poſteriore ſignificato intelligi accipique vox ea debebit. Vnde ſequitur tuam primam reſponſionem Aſtrologicam, hoc eſt, putridam, euanidam, falſam, ineptam, eſſe. Quid quæſo aliud græcis διαϐάλλειν ſignificat, quàm calumniari, ſeu falſa de aliquo ſpargere ei vt noceat? Siue igitur cauillari pro σοφίζεσθαι poſitum velis, ſiue pro calumniari, perinde erit. Sic rectè interpretem conuertiſſe confitebere, cum Martianum mentitum fuiſſe poſuit. Tu ſi, quid criminari ſignificet, & quid διαϐάλλειν notet apud te conſideraſſes, non hic ſine ratione interpretem ſuggillaſſes. Conſtat hūc eſſe prædicti loci ſenſum, Martianum vt Galenum redderet inuiſum, & prædictiones ipſius conuelleret per mendacia perſuadere alijs conatum fuiſſe, ipſum non vt Medicū, ſed diuinatricis artis ope futura præſagire ſolitum fuiſſe. At Galenus id conſtanter negat, ac ſolam Medicam artem iſta docere contendit.

Veniamus ad ſecundam reſponſionem. Dicis Galenum de nō naturali Aſtrologia ſeu mathematica locutum eſſe.

Vbi Galenus vel antiqui alij mathematicam diuinationẽ diſtribuerunt in naturalem ac non naturalem? Aut quid intellexit per non naturalem mathematicam Galenus? Certum eſt non naturalem eam eſſe, quæ nullis nitatur rationibus naturæ conſentaneis. Talis illa eſt, quam tu profiteris, & de qua huc vſque contendimus inter nos. Aliam tu mihi nũquam probabis Galenum intellexiſſe. At, inquis, *Auguria*, *Extiſpicia*, &c. diuinationes ſunt non naturales. Nego tibi Galenum minus naturales has diuinationis ſpecies quàm Aſtrologiam exiſtimaſſe. Qui commentarios ipſius volet legere, facile intelliget, ipſum Augurium & Extiſpicium non minus crediđiſſe naturales quaſdam artes eſſe, quàm Aſtrologiam. Vtrobique enim abutuntur corporibus naturalibus, qui ex ipſis futura venantur. Galenus hîc diſcrimen non facit, ſed Martianum ſolitum dicere aſſerit, quod diuinatricis artis auxilio futura præcognoſceret. Et cum interrogatus ſæpe fuiſſet, ait, qua nam arte vterer, modo vnam modo aliam reſpondit. Galenus in genere negat, ſe vlla diuinatrice arte adiutum fuiſſe ad præſagiendum, ſiue naturali ſiue nõ naturali, ſed ex arte medica ſe omnia percepiſſe quæ prædixerit euentura. Falſa igitur & puerilis & inepta eſt tua reſponſio.

Tantundem valet quod de abuſu artis affers, de quo Galenus nihil dicit. Nec Martianus id voluit, Galenum mathematica abuti, ſed hoc illi crimen ſeu vitium falſo intẽtabat, ipſum non ex facultate medica, ſed alius artis præſidio futuros morborum euentus præintelligere. Si potuiſſet criſes Martianus, ſicuti Galenum poſſe videbat, præuidere, nunquam eum ita fuiſſet calumniatus. Vbi Mathematica diuinatrix ars aliqua pro abuſu Aſtrologiæ poſita ſit ab antiquis, ipſe videris. Ego non magni facio quæ tu citra omnem probationem temerè & inconſideratè dicis, vel potius effutis. Cauillatio eſt, nihil aliud, quicquid hic adfers, & argumentum meum non modò non obſcurant, ſed maximè illuſtrant, ac firmamentum ipſius quale ſit, declarant.

Videris credere, me negaſſe illum locum, quem ex cap

Digitized by Google

1 libri ad Poſthumum protuliſti de diuinatrice Aſtrologia intelligi debere. At ego nunquam negaui,ſed nihil ad eam rem, de qua nos agimus, facere dixi. Iterum dico,ſi eum huc facere putes,te multò eſſe opinione mea imperitiorē, vt ne quid aſperius dicam Nec loquitur ibi de Medicis Galenus,vt tu perperam interpretaris:ſed diuites,ait, artes vtilitate metiri, ac quod in ſingulis ineſt pulchri & eruditi non vel minimum curare.

Tale illud etiam eſt,quod aſſeris, Galenum in 3. Decret. cap. 10. tantopere ſeſe excuſaſſe propter cauſſam 20. diei. Verba ipſius probant eum de omnibus Aſtrologicis loqui. Qui iam diſputationis huius,inquit, ſubtilitati ſuccenſet, ac difficilem eam exiſtimat, hunc nemo ipſam addiſcere cogit,verum primus huius operis liber ei ſufficit. Quòd ſi non laboris fugitantior ſit, ſecundum quoque adijciat, à tertio autem abſtineat. Nos ſiquidem hæc paucis planè, ijsque inuitò ſcripſiſſe affirmamus. Vos ô Dij immortales nouiſtis,vos in teſtimonium voco,hæc me amicorũ quorundam precibus vehementer adactum ſcriptis mandaſſe. Ex his verbis tam clarè patet,eum de tertio libro toto, non de parte vna tantum loqui, vt cæcum eſſe oporteat qui videre nequit.

Ad locum ex Aphor.productum reſpõdes, Galenum ibi ſolum de cauſſis dierum criticorum dicere inutiles eas eſſe ad exercitium artis Medicæ.At inde non efficitur,ais, Aſtrologiam inutilem eſſe. Age dabo tibi eum de ſolis criticorum dierum cauſſis loqui. Quid inde habebis vtilitatis? Ego enim hunc locum non ideo adduxi, vt Aſtrologiam inutilem docerem eſſe,ſed vt Galenum in ea fuiſſe ſententia demonſtrarem, illa quæ in 3. Decretoriorum diſputaſſet,non eſſe ei qui artem vellet exercere neceſſaria, modò aliorum nihil ignoraret, quæ paſſim aliàs neceſſaria dixit eſſe. At verò ſi non eſt vtilis quatenus docet cauſſas dierũ decretoriorum,vt iam apparuit,ad quam rem confert? Ad præſciendas criſes? Malè ergo Galenus omiſit, cum quomodo prænoſcēdæ ſint docere nos voluit. Docuit aũt multis in locis,atq; ex profeſſo quidem in lib. de Criſibus. Hoc

Digitized by Google

in loco omnia quæ ad hanc partem vtilia & neceſſaria iudicauit tractauit, ſicut debuit. At Aſtrologiæ facta mentio nulla ei fuit. Malè quoque Hippocrates, qui in ſuis Prognoſticis nunquam rei tam neceſſariæ, ſi tibi credendum ſit, meminit. Ne hîc quidem igitur elabi potes.

Si non tibi probaui librum Aſtrologicum de decubitu ægrorum ex mathematica ſcientia ſpurium eſſe, oblecta te in eo quantum voles. Similes habent labra lactucas, non ineptè hîc dixerim. Video te nihil guſtare poſſe & admittere, quod non mendacia & lutum Aſtrologicum ſapit oletque. Ego ad illius authoris teſtimonia tibi poſthac nihil reſpondere ſtatui.

De contingentibus tam abſurda adfers, vt quid confutem vix ſciam. Ergo pauca quædam tantum attingam. Galenum riſurum putas fuiſſe, ſi dicentes nos audiuiſſet, Aſtrologiam circa contingentia ſolum verſari. Tua ſi legiſſet, ſine ſtomacho & faſtidio nunquam, credo, facere poſſet. Contingentia ſunt, quæcunque cum non extant, extare poſſunt: & cum extant, extare non etiam poſſunt, & contra neceſſaria diſtinguuntur. Huius quaſi genera tria ſunt. Aut enim in pluribus cernuntur, qualia ea ſunt, quæ vel Natura vel Ars efficit. Aut æquè ſunt ac non ſunt, vt quorum voluntas eſt cauſſa. Aut in paucioribus reperiuntur raroque eueniunt, quæ caſu accidiſſe dicimus, fortuitaque nominamus. Omnium ne tu horum cauſſas ignorari contendes? Non, reſpondebis, tantum poſteriorum duorum generum cauſſas ignorari dico. Hæc in literis tuis reſponſio videtur poſita eſſe, non quidem his verbis, ſed hac ſententia. Ergo ſtulti & vani ac mendaces omnes fuerunt philoſophi, qui ſecundi generis euentuum cauſſam eſſe ſtatuerunt optimo iure προαίρεσιν voluntatemque. Vides quam habeam occaſionem hîc te exagitandi? Meminiſſe te ſaltem decebat, artes omnes circa contingentia verſari, & earum effectus eſſe contingentes.

Criſes præterea cum à corporum noſtrorum natura tanquam proxima & propria cauſſa perfici concedis, concedere te quoque oportebit, eas fieri quoque non poſſe. Si

negas,planè imperitè & inſcitè facis. Si affirmas, ex contingentium numero rerum erunt. Quid igitur Pius & Manardus peccaſſent, (quos tu viros conuicijs & maledictis impudenter laceras immeritò) ſe Aſtrologiam circa ſola contingentia verſari affirmaſſent? Mendacem & futilem atque adeò impiam eſſe demonſtrarunt, tantum abeſt, vt aliquid ex ea de contingentibus rectè præſciri cenſuerint,

Fortuitorum cauſſas à nobis ignorari quod dicis accipio,& quod arte comprehendi nulla poſſe concedis, ſimiliter probo. Si iam addidero,pleraque eorum,quorum ſibi præſcientiam inſcitè arrogant Aſtrologi, fortuita eſſe, rectè me inde concluſurum non puto negabis,ipſos tentare quæ fieri nequeant. Sed hæc extra rem. Ad vniuerſale deſcendo.

Cum cœlos vniuerſales cauſſas & generali modo in hec tarrena agere dico,tu duobus id modis intelligi poſſe iudices. Sic enim ſcribis: *Aut enim illud vis,quod effectus aſtrorum qui in inferioribus cernuntur à ſolis aſtris pendeant, quoniam hæc vniuerſalia ſunt tantum. Aut illud, quod aſtrorum facultates ſeu vires perpetuò inter ſe vniantur & coeant, &c.* Mox priorē partem confuraturus dicis, *In omni actione neceſſarium eſſe patiens, &c.* Diſpeream ſi credere vnquam potui,talia mihi ab homine, qui doctus videri cupiat,nec tamen deliret, obiectum iri. Tu ne contra libellum à me editum ſcribes,neque ex eo hactenus intelligere quiuiſti, quomodo cum philoſophis & doctis omnibus cœleſtia vniuerſales cauſſas appellem, aut generali modo in hæc terrena agere intelligam? Si primo modo tuo, cœlos dicerē aut putarē cauſſas vniuerſales eſſe(hoc eſt, ſi eò ſtupiditatis deuenirem) tu tamen non poſſes me erroris conuincere tuis putidulis ratiunculis. Dicerem, fruſtra te patientium rerum mentionem inijcere,cum mihi de cauſſis efficientibus ſermo foret. Cum cœleſtia generali ratione in hæc terrena agere dico,quis non me terrena pro patientibus ponere, præter vnum te, perſpicit? Quæ igitur te cauſſa impulit,multa vt de patiente inaniter diſputares? Si aliquid vidiſſe videri volebas,hoc probare debebas, non

ſolas

ſolas cœleſtes cauſſas hîc efficere aliquid poſſe, ſed alias præterea interuenire efficientes cauſſas oportere. Hoc ſi feciſſes, nihil quidem ad rem propoſitam protuliſſes, cum ego longè aliter cœlos generales cauſſas & vniuerſaliter huc agere docuerim, attamen: tuum propoſitum probaſſes, ſicque venia minus indignus cenſeri potuiſſes. Sic autem clarè probas, te nec vera intelligere, nec quæ palam falſa ſunt confutare ſcire. Hæc cum ita ſint, nihilominus quæ veriſsima ſunt te conuellere argumentis poſſe imprudenter equidem credis.

Pars altera, quam longiſſima oratione declaras, & quaſi iam viciſſes exaggeras, te prorſus digna eſt. Si enim inter verum & falſum diſtinguere didiciſſes, aliter loquaris. Attigit hoc argumentum Sauonarola in edito libello, ſed longè aliter eo vtitur ac tu putas. Ego, Stathmion, nec hoc nec illo modo cœlos vniuerſaliter huc agere vnquam vel credidi vel ſomniaui, multò minus docui. Quare nihil huc faciunt ea vniuerſa. Vnũ in te demiror ſummopere, quòd non vides te tibi in pauciſſimis verſibus manifeſtè contradicere. Etenim aſtra concedis cauſsas eſse vniuerſales, remotas & communes rerum omnium, & nihilominus Aſtrologum ex vario eorum poſitu de particularibus euentibus horum inferiorum diuinare artificioſe contendis.

Dixeram clariſſimos per Galliam & Italiam Medicos omnibus floruiſſe ætatibus, & hodie quoque florere, qui Aſtrologiam exemplo antiquorum nunquam adhibuiſſent, & feliciſſimè tamen ſuos ægros percuraſſent. Ad hæc tu, multos te ſine aſtrologia, plures etiam ſine pulſu curaſſe ſcribis. Vt autem non ſequitur, pulſum propterea inutilem eſſe: ita neque aſtrologiam ſequi inutilem eſſe, quia multi multos ſine aſtrologia curarint. Sic tibi argumentari licet, qui nouam excogitaſti logicam, qua quiduis de quouis vel approbes vel improbes. Non habet eandem cùm arte medica cognationem aſtrologia, quam cum eadem pulſus habent. Nec tu ex eorum es numero, de quibus ego loquebar. Hos enim monumenta quæ extant doctiſſimos & optimos Medicos fuiſſe & eſſe, quos eorum

Digitized by Google

nihil latet,quæ ad artem neceſſaria rectè iudicantur.Deinde non illi aliquando quidem vſi ſunt aſtrologiæ beneficio,aliquando verò non ſunt vſi,ſicuti te non ſemper non obſeruaſſe pulſus ſuſpicor, ſi modò aliquid hîc intelligis, ſed nunquam ſunt vſi,nec vti voluerunt, quod falſam eſſe vanamque intelligerent. Tam multa ſunt in tuo ſimili diſſimilia quæ ad rem pertinent. Tu tuos,ſi libet, vt fortè etiam aliquando facis,etiam ſine alijs rebus neceſſarijs curato. Illi de quibus ego loquor, nihil talium omiſerunt, quantum ingenio,ſtudio,iudicio,eruditione,vſu, conſilio, conſequi potuerunt, quæ ad artem rectè exercendam vel neceſſaria vel vtilia eſſe cognouerunt. Aſtrologiam autem deſpectui habuerunt ac riſerunt,quoniam inutilem & vanam eſſe perſpexerunt,quod de pulſu dici nequit.

Tandem controuerſiæ noſtræ ſtatum in hoc ſitum eſſe affirmas,vt doceam Galenum Aſtrologum non fuiſſe.Quã bonus fuerit Aſtrologus,& quam benè de Aſtrologia in 3. Decret. diſputarit, multi Aſtrologi iam antè docuerunt. Quæſtio propriè non hæc eſt,ſed,An Aſtrologiam in curãdo adhibuerit aliquando,nec ne. Si Aſtrologus eſt appellandus,quiſquis Aſtrologicum aliquid quacunque de cauſſa ſcribit,negare non poſſum quin fuerit Aſtrologus Galenus. At verò præter & contra ſuam voluntatem Aſtrologus,vt ipſemet Deos teſtes aduocans docuit,fuit. Neceſſitate quadam non voluntate,vt iam ſæpe diximus,in 3. Decret. Aſtrologica quædam tractauit. Quod illa ipſa non probarit,ſuprà quoque oſtenſum recordor. Sanè ſi cauſſam ſententiæ nullam haberemus aliam præter hanc vnam, quòd in tam multis libris, quos ante & poſt illos ſcripſit, & in quibus non tantum occaſionem habebat de ea diſſerendi:ſed etiam cogebatur,ſi perfectam rei doctrinam, vt promittebat,tradere nobis volebat, nullam vnquã ipſius mentionem fecit, quaſi conferre medico aliquid poſſet non ſine efficaci ratione ita ſentiremus. Iam cum alias habeamus,& aperta ipſius proferre poſſimus teſtimonia, nõ video quid deſiderari queat amplius. Ex hoc illud etiam ſequitur,in quo ſtatus controuerſiæ noſtræ exiſtit,eum nõ

fuiſſe

Digitized by Google

fuiſſe aſtrologia in curando vſum. Nam ſi ſemel tantùm, & contra ſuam volũtatem de ea diſputauit, eademque omitti poſſe abſque omni artis incommodo ſignificauit, ſatis manifeſtum eſt, ipſum ea poſtea non fuiſſe vſum. Hæc prima ſit ratio, cui validiores iam alias adijciam.

Ignominiam & iniuriam ſibi fieri putauit, ſi quis eum Aſtrologia vſum dixiſſet, non igitur ab ea adiutus eſt. Conſtat quod di i verum eſſe, cum calumniam appellat, quod Martianus id de ipſo affirmaſſet.

Idem ferè teſtatur in eiuſdem libri cap. 7. ſic ſcribens. Hic ego vt pueri in brachio venam pulſantem attigi, ſine febre quidem ipſum eſſe pronunciaui, me verò deludendi hiſce, qui me Vatem appellarent, anſam dare. Excipiẽs Boëthus, & ego, inquit, in comparatione illorum ſoleo te reuera Vatem, vt ſcis, appellare, quoties aliquid prædicis, quod æmuli tui negant, præcognoſci Medica facultate poſſe. Atqui hactenus, ſubiunxi, ea omnia te docui Medica arte inueniri, priſcosque aliquot Medicos hiſce de rebus conſcripſiſſe.

Iterum in fine huius cap. affirmat Boëthus iterum, ſe nõ mirari, quòd ipſum quouis modo alio, quàm Medica diſciplina ſuas prædictiones facere diuulgent.

Item cap. 10. ait, ſe, quomodo quis diem criſeos prænouiſſe debeat & poſſit, in libris de Criſibus docuiſſe. At nullam in his mentionem aſtrologiæ fecit, ergo ſine ipſa prænouit futuras criſes.

Paulo pòſt addit, ſe ſuos ideò prædictiones non ſolere prædicare, ne deluſorem & vatẽ ſe appellent, & huiuſmodi alia de ſe obloquantur.

Mox hæc addit. Quanquam hæc prædictio nihil quod mireris continet, ſi eorum es memor, quæ tibi in commẽt. quos in 1. Hipp. librum de Vulgar. morb. conſcripſimus, & præterea quæ in libris de Criſibus docuimus, didiciſti.

In 13. cap. cum riderent aſtantes, quòd ſanguinem ex nare dextra fluxurum prædixiſſet, ait: At, inquam, vel vtrũque eueniat oportet, vel alterutrum me decipiat. Nam & quod ſanguis fluxurus eſt, & quod è dextra nare venturus, arte Medica præſciri poteſt.

Digitized by Google

Ex his teſtimonijs quæ ex vnico libro attuli, nec omnia tamen, ſatis arbitror patet, Galenum non ex cœli inſpectione,ſed ex arte Medica criſes omnes præuidiſſe. Si cum hiſce argumenta ſuperiorum literarum,quæ te non diſſoluiſſe non ignoras,modò nō prorſus cæcutiat animus tuus, coniunxeris,non ratione tantum,ſed autoritate etiam propoſitum me abundè probaſſe intelliges. Plura in præſentia addere non libet.Poſtrema verba literarum tuarum hæc ſunt: *Scito rem ad doctos arbitros peruenturam.* Idem hoc nuper cum in arce pranderem iſtic ex nobiliſſimo viro arcis præfecto intellexi.Literas à te ſibi paulò ante miſſas legit, in quibus te Vuitebergā tranſmiſiſſe exempla ſcriptum erat.Ego ingenuè fateor, me putaſſe initio vni tibi à me ſcribi,quò factum eſt,vt priorum exempla mihi nulla ſeruarim,quę recepi tamen poſtea. Quod ſi publicandas cogitaſſem,accuratius quædam ſcripſiſſem. Nolim putes me doctorum hominum iudicium aſpernari aut detrectare. Vnam veritatem omnium hominum autoritati, gratiæ & commodis omnibus anteferendam pręclarè intelligo Neque vllum pro ea defendenda exiſtimationis meæ periculum defugere certum eſt. Quamobrem licet ita non ſcripſi,vt qui pluribus ſcribere ſe cogitaret: facilè tamen, ſpero,doctis & æquis hominib.cauſſam meā probabo. Si igitur,quos tibi arbitros cauſſæ noſtrę elegiſti,te tuāq; amicitiam, pluris quàm veritatem, (quod minimè ſpero) fecerint, me nec veritati, nec cauſſæ meæ defuturum, iidem perſpicient. Et quoniam te id cupere video,plures vt noſtra hæc legant,cum primum ocium nactus à grauioribus negocijs fuero,efficiam ipſemet, tibi vt gratificer, vt omnino plurimi peruidere poſſint,quàm ſis egregius Aſtrologiæ patronus.

Vale.18. Febr.Maſfeldiæ.

Epiſtola

Epiſtola VI.

THOMAS ERASTVS D. CHRISTOphoro Stathmioni Medico Coburgenſi, S. D.

ESi literæ quas Id. Martij accepi, nihil continet, cui non ſit à me iam ſæpe reſponſum: nihilominus tamen, quia te ſolam veritatem ſpectare in tota cauſſa aſſeris, iterum reſpondere placuit, vt ſi ſanabilis es, remedium tibi denegatum non queraris. Non in eo controuerſia noſtra amplius verſatur, An Gal. in 3. Decret. Aſtrologis fauere viſus ſit, (Hoc enim tibi non ſemel affirmaui) ſed, An in exercenda arte medica, Aſtrologorum more cœlorum poſitus obſeruarit; quærebatur. Ego ex nullo Galeni teſtimonio probari poſſe aio, niſi quę in 3. Decret. dicta ſunt, malè huc aliquis detorquere conetur. Etenim non vnum duntaxat extare locum in legitimis ipſius operibus, quibus diuerſum oſtendi valeat. Tales in libro ad Poſthumum ſcripto inueniri plures monui, & ex ijs aliquot produxi, quibus apertè teſtificatur Galenus, ſe non ex arte diuinatrice aliqua (Aſtrologiæ inter has nominatim ſub nomine mathematicæ commeminit) ſed ex ſola Medica futuros morborum euentus præcognouiſſe, aliosque præcognoſcere docuiſſe. Ex alijs libris nihil proferre volui, & ne nunc quidem volo, quod hæc abundè propoſitum demonſtrent. Repetam ergo breuiter, vt me nihil temerè affirmare appareat.

Vbicunque Galenus narrat, quomodo & ex quibus aliquem futurum in morbis euentum præcognouerit, tametſi plurima recitet, Aſtrologiæ tamen nunquam meminit, ſed ex arte Medica ſola ſe præuidiſſe affirmat. Ergo nō eſt in præſentiendo vnquam vſus Aſtrologia.

Vbicunque Galenus docet (ſiue obiter id faciat, ſiue ex profeſso eam rem tractet,) quomodo criſes prænoſcendæ ſint: itemque quales & quando futuræ ſint cognoſcere docet, omniaq; ſe ad eam rem facientia perſecutum aſſerit, Aſtrologiæ tamen non meminit. Ergo non neceſſariam aut vtilem iudicauit.

Galenus aſseuerat, artem prænoſcendorum euentuum in morbis ab Hippocrate perfectè doctam, vna doctrina de pulſibus excepta: neque Aſtrologiæ is vnquam meminit, ergo ad præſagiendum non iudicauit vtilem. Quare ne vſus quidem ea credi poterit.

Galenus Aſtrologiæ auxilio ſe aliquid præſenſiſse negat, atque adeò illum qui hoc de ipſo affirmaſset calumniatū mentitumúe ait, Ergo non eſt ea vſus.

Vides, opinor, non ideò me negare quòd ea vſus fuerit, quia in curationibus nominatim eius non meminerit (Quanquam non leue hoc etiam argumentum cenſeri debeat) Sed quod ea ſe vſum diſertè neget, quod cum ea enumerat, per quæ præuiderit omnia, Aſtrologiæ non meminerit, quod præſenſiones nos docens & neceſsaria atq; vtilia ſe omnia adferre aſserens, nullam huius tamen vel vnico verbulo mentionem faciat. Equidem vbi diem atq; adeò horam futuræ criſeos cognoſcere docet, quod tu Medica arte præſciri poſse negas, & à Galeno eam rem doctos nos eſse ignoras, huius vanitatis præcepta nulla enumerat. Quòd ſi faciendam ipſius mentionem illis in locis neges, quis ſis, te apertiſſimè prodas. Si tam obliuioſum fuiſſe cenſes, vt rei tam neceſsariæ tamque vtilis tot in locis & libris ne ſemel quidem recordari potuerit, rurſus quis ſis oſtendis. Non ignorabat Galenus, cum ex profeſso, non conſequentię ſermonis gratia, doctrinam de criſibus & prognoſticis tractaret, nihil ſibi omittendum eſse illorum omnium, quæ ad rem propoſitam vel neceſsaria vel vtilia cognouiſset. Iam quid ad hæc tu dicas conſideremus. *Vt Arabes* inquis, *nemo dixerit non vſos Aſtrologia, quia in ſuis doctrinis prognoſticis & curatiuis non meminerunt ipſius, ita ne de Galeno quidem ſequitur.*

Qui à ſimili argumentum vult ducere quomodo conuenit, eum ſimilia non diſſimilia adferre decet. Quod cum hîc tu non facias, non mirum eſt, ſi argumentum ſit elumbe, nugax & puerile. Si mihi Arabem oſtenderis qui id faciat, quod Galenus fecit, in hiſtorijs curationum & prædictionum particularium, & eũdem tamen Aſtrologia vſum

fuiſse

fuiſse oſtenderis, tum quod debes perfeceris quidem: at nequaquam mea refutabis ideo. Quid aliud obtenturus ſis, quã mendacem illum eſse, neſcio. Etenim Galenus enumerat ex quibus & per quæ cognouerit & curarit. Deinde Medica arte ſe præſenſiſse dicit. Poſtea ſe in libris vbi de Aſtrologia altiſſimum eſt ſilentium, docuiſse monet omnia, ex quibus talia poſſint præſagiri. Poſtremò neque alia diuinatrice arte, neque Aſtrologia ſe adiutum aſseuerat. Hæc ſi Arabem in particularibus ſuis curationibus & prædictionibus cõmemorantẽ oſtenderis, cõcludã ego ipſum Aſtrologia non vſum. Si contrarium tu probaueris, mendaciſſimum eſse hominem argues, quod de Galeno tibi nemo concedat. Vides ne quàm ieiuna, inania & inconſiderata ſint, quæ pro te & aſtrologia adfers? Qui ex Arabibus Aſtrologiam cum Medicina coniunxerint, vt nunquam eius meminerint, aut coniunxiſse eam negent, tu videris. Ego neſcio nec ſcire cupio. Hoc de talib. affirmare auſim, eos non modò non tacuiſse, ſed frequentiſſimè prædicaſſe. Etenim maiorem in modum tales nugatores ſibi in ſuis nugis placent, nec prædicare ſatis poſsunt.

Verum enimuero iſtos mittamus, & de Auicenna, qui omnium Medicorum Arabum facilè princeps fuit, aliquid dicamus. Hunc ſi tecum facere oſtendere poſses, Deum immortalem, quàm triumphares? quàm mihi inſultares? quàm non dubiam tibi victoriam polliceri auderes? At damnaſſe eum vanitatem hanc clariſſimi iam pridem viri monuerunt. Contrariam philoſophiæ, partes ipſius omnes eſſe falſas, fieri non poſſe vt vera prædicant aſtrologi, niſi caſu quodam interdum ita eueniat, ſcripſiſſe eum declararunt. Et quidem quæ hîc dicis, Aſtrologica, hoc eſt, vana & falſa omnia eſſe, ſi quid omnino vides, cernis. Quòd ſi iterum ad 3. Decret. tanquam ad ſacrum aſylum confugias, non eſt vt à me aliã reſponſionem expectes. Conie-cturis minimè leuibus docui, Galenum illa ipſa quæ partim ex Aſtrologorum ſententia, partim verò ex ſua ipſius opinione ſcripſit, non omnino probaſſe. Si voles tuum hoc argumentum vnicum cum meis conferre pluribus, & ſtu-

dio aliquo veritatis cognoſcendæ teneris, perfacile tibi reſponſum eſſe cognoſces.

Maiorem in modum miratus ſum te, cum in tuis legi, nullum poſt 3. Decret. librum Galeni extare (de legitimis loquor) & quo certiora argumenta promi queant ad probandum Galenum Aſtrologiam adhibuiſſe ad curationes, quàm ex eo, quem ad Poſthumum ſcripſit. Nullus eſt ferè, ex quo plura ſuppeditentur nobis argumenta eandem expugnandi. Certè ſi nullo alio in loco meliora, aut æquè bona habes, in hoc autem omnia habes aduerſa, quid aliud deſperare præſidij poteris? Dicis eũ ab initio ſtatim queri, Aſtrologiam, vt & reliquas diſciplinas, negligi. Debebas primum obſeruaſſe, Galenum Aſtrologiæ nomen pro Aſtronomia vſurpaſſe. Deinde quod ait vſum artium duntaxat homines requirere, quod verò in ſingulis pulchrum eſt, ac demonſtrationum certitudinem negligere. Hæc ſi obſeruaſſes, Galeni hanc fuiſſe in præſenti loco mentem, percepiſſes etiam, ſcilicet Aſtrologiam diuinatricem propter vſum ab omnibus illis expeti, at Aſtronomiam quæ certis nitatur demonſtrationibus, quia non vtilis æquè videatur, deſpici ac negligi. Quomodo ego ſperem te deſiderio aliquo veritatis teneri, qui aperta loca tam confidenter audes peruertere ad ſtabiliendas conceptas animo nugas? Miror non minus, quòd ea pro te imprudenter adfers, quę tibi oculos eruunt, aut certè oſtendunt te inſtar cæci obuium quodlibet arripuiſſe, delectum habere non potuiſſe.

Quæ de ſexto in eodẽ libro ſcribuntur, patrocinari tibi putaſti, quia ſcilicet horã atq; diẽ criſis prædixit, quod tu ex arte Medica cognoſci poſſe negas. ſic enim ſcribis: Si tu vel quiſquã alius mihi probauerit, vlla vel via vel ratiõe in Medicina, horã criſium ſciri poſſe alia, quàm ex aſtrorum, maximè autẽ lunæ, criſiũ veluti rectricis, motu, cum illud neque pulſus, neque vrina, neque morbi, neque acceſſionis natura vel ſingula vel omnia ſimul, niſi veriſimiliter & cõiecturaliter, quomodo Gal. Sexto non prædixit, ſed nominatim & certè ſecundam ei noctis horam diei 17. criticam præfiniuit, id Seuero Conſuli, &c. Si tam fuiſſes in Galeni

ſcriptis

ſcriptis verſatus, quod te Medicum in primis decebat face re, quàm in mendacijs Aſtrologicis te exercuiſti, nunquam hæc ſcripſiſſes. Vel ſola iſta declarant & probant, qualis Medicus ſis. Etenim Galenus docet, quomodo ſola Medica arte criſis præcognoſcenda ſit, & quomodo nō dies modò, verum etiam hora præſciri valeat. Nec docuit tantum paucis verbis, ſed fusè explicauit, explicandoque probauit. Quare non eſt huius rei vt vel à me vel ab alio probationem expectes, quam apud Galenum inuenire iam olim potuiſti comprobatam & declaratam. Galenus in illo ipſo loco, negat, ſe ex Aſtrologia aut obſeruatione motus lunæ præuidiſſe, ſed ex illis quæ in 1. Epidem. & in lib. de Criſibus docuit. Quæ ſi quis norit, nihil admiraturum ſcribit. Rogo te caput illud iterum vt legas, quo tandem quàm inconſideratè pleraque ſcribas, perſpicias. Vides iterum quā tuam ſocordiam prodas, nihil verò obtineas quocunque te vertas. Nolo iam ſingula examinare diligentius, ne occaſionem captaſſe videri queam tuam negligentiam, ne dicam imperitiam, in lucem protrahendi. Vnum certè hîc dicere cogor, ſi quod ſentio dicere debeo, me vehementer vereri, ne nullo veritatis ſtudio ad hæc ſcribenda impulſus fueris.

Cum dicis, Criſes non eſſe ex numero illorum contingentium, quorum cauſſæ incertæ vel nullæ habeantur, rurſus te parum in Medicina iuxtà ac philoſophia exercitatū declaras. Etenim criſes particulares ex numero contingentium eſſe, nemo ſanus vnquam aut Medicus aut philoſophus negauit. Deinde cauſſas eas habere extra omnem controuerſiam eſt. Nihil enim fit ſine cauſſa ipſum efficiēte, niſi aliquid ſeipſum facere dicatur, atque tum cum nōdum eſt, ſe producere cogitetur, quæ fortaſſe facilè ab Aſtrologis ſententia admittatur. Concedunt enim & docent, figurationes cœli ſæpe multis pòſt menſibus agere, primum incipere, quàm eſſe in rerum natura deſierunt. Hoc dixi, cauſſas criſium varias multiplicesque eſſe, & tā inter ſe variè & diuersè concurrere, vt earum congreſſus antè ſciri nequeat, quàm conuenerunt iam effectumque

producere inchoarunt. Vnde ſequitur, particularem criſim nullam præſciri poſſe & prædici, niſi cum iam fieri produciq́; cœpta eſt, ac impedimentum acceſſiſſe nullum cernitur. Hinc illud etiam liquet, malè te credere, contingentia eſſe quæ cauſſas nullas habeant. Habent res omnes cauſſas certas quidem, aliter enim fieri nunquam poſſent, at nobis non ſunt ſemper cognitæ etiam tum, cum effectũ productum videmus. Multò minus nouimus eas, cum producturæ adhuc ſunt, nec tamen producere adhuc incœperunt, imò cum ne determinatæ quidem adhuc ſunt ad illum vel hunc effectum hoc vel illo modo producendam. Sed hæc ſpinoſiora eſſe putabis fortè, quàm vt tibi conueniant.

Suprà dictis hæc addis. *Neque vniuerſali tantum ratione vel cauſſa fiunt eadem, ſed pro ſpeciali & proprio ſolius Lunæ motu, naturam, quæ proxima criſium cauſſa eſt, re vera certis interuallis ad ſui exonerationem inuitante & iuuante.* Hîc alijs miſſis, ne eſſem longior ſine cauſſa, illud conſiderabã, quænam tua eſſet in his verbis mens atque ſententia. Ego ſic intelligo, ac ſi dicere velis, Criſes non à lunæ ſolum motu, hoc eſt, ab vniuerſali cauſsa fieri, ſed oportere etiam particularem & propriam cauſsam, Naturam ſcilicet, à Lunæ motu impulſam ad ſui exonerationem accedere. Si igitur Lunam vt cauſsam vniuerſalem, Naturam, videlicet proximam cauſsam, impellere cenſes, rectè quidem ſentis mecumque facis. Neque hac de re vlla poſthac nobis lis futura eſt, ſi in ſententia perſiſtere voles. Ego namque multis alibi oſtendi, (& exemplis quomodo intelligi velim expoſui,) non Lunam modò, ſed & alia aſtra omnia vniuerſales, communes, remotas, indefinitas omnium rerum terrenarũ cauſsas exiſtere. Hoc autem omnem ex aſtris prædictionem funditus euertit, vt intelligere omnes poterunt, qui rerum conſequentias videre queunt. Quare aut non intelligis hoc conſequi, aut aliter tua explanari voles.

Quod ſi ita eſt, hunc eſſe ſenſum tuum ſuſpicor, Lunam ſpeciatim magis hoc tempore quàm alio, & hanc magis quàm aliam quamuis Naturam ad criſim mouere impellereq́ue.

lereque. At hæc ſententia rationi, ſenſui, euidentiæ, experientiæ, omnium doctorum hominum iudicio aduerſaria eſt, quippe quæ Lunam non ſinit vniuerſalem cauſam, ſed particularem & definitam aliquo pacto ſtatuit. Etenim quæcunque cauſa vnum quàm aliud magis minusúe afficit, mutat, mouet, nec omnia, quantum in ſe eſt, ex æquo alterat, eadem omnibus, hoc eſt, communis & generalis omnium ſimiliter cauſa dici atque eſſe nunquam poterit. Lunæ verò motus & facultas omnibus eadem eſt, omnia ex æquo, quantum in ipſa eſt ſitum, commouet alteratq;. Quo fit, vt vnius rei non poſſit magis minusúe cauſa dici, quàm alius cuiuſlibet. Dico quantum in ipſa eſt, propterea quòd pro naturæ eorum, quæ motum eius recipiunt, diuerſitate, nihil prohibet, imò neceſſe eſt, effectus diuerſiſſimos, & planè diſpares atque adeò contrarios enaſci. Quod enim recipit non pro dantis ſeu mouentis natura, ſed pro ſua propria recipit agentis actionem cuiuſlibet. Ni ſi ita eſſet, poſſet res quælibet in quodlibet tranſmutari. Quocirca diuerſiſſima vno tempore efficit communis cauſa, modò non aliter in rem vnam, quàm in alias agat, ſed vnum eũdemque effectum in ſingulis per ſe exerceat. Quæ hoc modo agit, rectè communis & vniuerſalis cauſſa dicetur.

Sol quia ex æquo lutum atq; ceram calefacit, non hanc magis quàm illud, & parem vtrique calorem, quod in ſe eſt, impertit, rectè cauſa communis vtriuſque effectus, qui in vtroque conſecutus eſt calorem ab eo impreſſum, appellatur. Sed hæc ſatis hoc loco ſunto. Non magnopere ſolicitus ſum, cur ad mea reſpõdere nolueris: quinimò conſilium laudo. Sic enim minus te cognoſcendum nobis exhibes, minusque negocij faceſſis. Claris viris cum innotuiſſe controuerſiam noſtram per me ſcribis, quid dicas non intelligo. Te publicaſſe tua cauſſa ex animo doleo. Mea tãtum abeſt, vt ægrè feram, vt, quoniam te id velle video, publicaturus ſim vltrò, quò vel ſic plures habeas reconditæ & raræ tuæ doctrinæ laudatores, & Aſtrologi tibi multi pro frigida, (dicere volebam ſtrenua) defenſione

Digitized by Google

gratulentur. Quàm eruditè ac neruosè Aſtrologiam aſſerueris, & quàm rectè ac validè Sauonarolæ argumenta diſſolueris, ex ea defenſione, quam pro eo iam conſcripſi, prope diem, Deo volente, perſpicies. Vale. Maſſeldiæ. 17. Mart.

Epiſtola VII.
THOMAS ERASTVS D. CHRISTOphoro Stathmioni, Medico Coburgenſi, S. D.

VEriſſimè Galenum alicubi dixiſſe re ipſa compertio, falſas opiniones eos quorum occupant animos, ſurdos ac cæcos reddere, vt nec audire nec videre poſſint, quæ alij omnes tum audiunt tum vident. Nam ſi, quæ pro me protuli, non vidiſti, meritò te cæcum eſſe putem. Si vidiſti, & à falſa opinione tua diſcedere noluiſti tamen, haud perſuadebis tu mihi, te veritatis indagendæ ſtudio commoueri. Argumenta mea te refellere non poſſe, periculo facto, intelligis, nec tamen de ſententia cedis. Quinetiam poſitiones, neſcio quas, vltro citroque, vt audio, dimittis, ſcilicet, vt vel ſic aliquibus probes, te bonam contra me cauſſam defendere. Si ad me illas miſiſſes, fortaſſe ad eas reſpondiſſem, ſicut ad omnes me literas tuas reſpondiſſe expertus es. Iam vt non tu modò, ſed etiam alij, qui hæc noſtra legent, liquidò cernant, me rectè vereque ſcripſiſſe, Galenum in artis operibus ab Aſtrologia ſubſidium nunquam petiuiſſe, pluribus hanc rē mihi tractandam duxi. Non iam ad te ſolum, vt in præcedentibus, ſed ad alios multos reſpicio. Quam ob rem ea quoque proponam, quæ tu fortaſſe minus commodè fueras percepturus. Ac ſi me non fallit animus, ita meam ſententiam argumentis communiam, vt qui veritatem amat, nihil præterea ſit deſideraturus. Demonſtrationes materia propoſita, in qua quid Galenus fecerit, quæritur, nullas quidem admittit. Argumentis talibus nihilominus probabo, quæ in propoſito demōſtrationum veriſſimarum vim prorſus habere ratione putentur optima.

Antea verò quam ad ipſam rem accedam, ſcilicet vt omnia

Digitized by Google

nia magis dilucida apertáque fiant, oſtendere conabor, Hippocratem in medendo Aſtrologiam non adhibuiſſe vnquam. Vnde nam hoc probare incipiam? An inde, quòd in ſuis ille ſcriptis Aſtrologiæ (Loquor autem de ſola diui natrice, quam iudiciariam nominant) nunquam meminit? Verùm falli me vociferabis, & logices me imperitum di- ces, ſi, quia illius non meminerit, nunquam ea vſum putē. At verò ſi rectè attenteq; conſideres, vel hac ipſa ratione, quod propoſitum eſt, me commodè effecturum eſſe pla- nè ac certè videbis. Etenim ſi in curando vſus ea eſſe pute- tur, credere cogemur ipſum ea in præſentiendo vſum fuiſ ſe. Siquidem dici facile non poteſt, in qua parte Medicinæ vſum habeat, ſi ei parti, quæ futura præcognoſcere docet, nihil vtilitatis confert. Ipſimet Aſtrologi hactenus nullum ipſius vſum alium præcipuum indicare potuerunt. Quæ namque Bellantius atque alij omnes, quos ego vidi, de ip- ſius vtilitate commemorant, huc omnia referri aptiſſimè poſſunt. Ratio etiam futura eadem eſt, ſiue huc, ſiue aliò referre malis. Conſentaneum quoque eſt rationi, vt diui- nandi ars, non niſi ea in parte, in qua preſciētia futurorum tractatur, locum habere putetur. Dubitari ergo nō poteſt, quin Hippocrates, ſiquidem vſus Aſtrologia in curando concedatur, ad præſagiendos corporum motus morbo- rúmque euentus preuidendos eam adhibuerit. Hoc ſi fal ſum comprobetur, liquebit, Aſtrologiam eum cum Medi cina non coniunxiſſe in ægrotorum curationibus. Sic igi- tur arguo.

Vbi Hippocrates methodum ac rationem præcogno- ſcendi futuros in morbis euentus ſiue ſucceſſus exponit, Aſtrologiæ ne vno quidem verbo meminit. Aſtrologia igi tur non eſt ipſe in præcognoſcendo vſus. Non, arbitror, du bitabit quiſquam, quin vniuerſam & abſolutam nobis Hip pocrates præſagiendi artem, (vna de pulſibus doctrina excepta) præſcripſerit, qua inſtructus ipſe tanta omnium doctorum admiratione futura præuidit. Equidem Gale- nus præter pulſuū tractationem doctrinæ Hippocratis ni- hil addidit, & in preſagiendo omnes omnium ętatum Me-

dicos poſt Hippocratem longo poſt ſe interuallo reliquit. Ex quo certè neceſſariò efficitur, eandem uobis artem integrè perfectéque ab Hippocrate, quanquam obſcurè & breuiter, traditam fuiſſe, ſi pulſus demas, quos obſeruaſſe eum non conſtat. Quod autem non meminerit Aſtrologiæ, manifeſtius multo eſt, quàm vt probari à me debeat. Cui ſatisfactum nondum eſt, is plura in ſequentibus reperiet, quæ hoc ipſum comprobent. Sic habet igitur argumentum: Hippocrates totam eam artem, quam ipſe ad præintelligendas corporum morborumque permutationes adhibuit, ſcripto nobis tradidit, Aſtrologiæ verò nuſquam mentionem fecit. Ergo Aſtrologia non eſt vſus. Ex indicijs atque ſignis quæ in corpore, non in cœlo, apparēt, additis circunſtantijs alijs præſenſit ipſemet omnia, & præſentire nos quoque eadem docuit.

Ad hanc rem cognoſcendam, cui non hi libri ſufficiunt, quos Galenus interpretatus eſt, alios etiam adiungat, ac quæ in 2. lib. Prædictionum narrat, expendat. Solus iſte veritatem amanti abundè ſatisfecerit. Nec mouere quemquam debet, quod Hippoc. non legitimus eſſe creditur, in qua ſententia Galenum quoque fuiſſe probè ſcimus. Siue Hipp. ſiue alium quempiam faciamus autorem, conſtat virum fuiſſe antiquiſſimum ac doctiſſimum, & Hippocraticæ doctrinæ ſectatorem diligentiſſimum, nec parum in arte exercitatum.

Cui ne hoc quidem probatur, is ita ſecum cogitet, Hippocratem Aſtrologiam prorſus ignoraſſe, ideoque vti illa, ſi maximè voluiſſet, minimè potuiſſe. Non obſcurè patet hiſtorias legentibus & conſiderantibus, poſt Hippocratis ætatem Aſtrologiam primum ex Aegypto in Græciā fuiſſe illatam. Equidem non Aſtrologiæ modò Græci Hippocratis ſeculo ignari fuerunt, verum etiam Aſtronomiæ vix elementa adhuc cognouerant. Tempore Platonis primum ferè cœperunt aliquid certi, quodq; notatu ſit dignum, in Aſtronomicis intelligere: id quod cùm ex alijs, tum ex Ariſtotele eiuſdemque interpretibus conijcere licet. Hippocratem ætate Democriti non vixiſſe modò, ſed etiam

in to-

in tota Græcia celeberrimum fuiſſe propter incredibilem artis Medicæ peritiam, vel vna iſta res probat, quod Abderas ad Democritum ſanandum euocatus eſt, quemadmodum in ſuis ipſemet Hippocrates epiſtolis teſtificatur. Hoc tempore floruerunt etiam Heraclytus & Anaxagoras phyſici.

Hic primus inter Græcos cauſſam Lunæ luminis atque vmbræ ſcriptis mandaſſe ſcribitur. Quam ob rem ab Athenienſibus eſt in vincula coniectus, & vix Periclis precibus ſeruatus. Non enim tutum erat illo tempore de cœleſtium motuum & affectionum cauſſis diſputare, propterea quòd aſtra pro Dijs tum colerentur haberenturque, vt Plutarchus refert. οὐ γὰρ ἠνείχοντο, inquit, τοὺς φυσικοὺς καὶ μετεωρολέσχας τότε καλουμένους, ὡς εἰς αἰτίας ἀλόγους καὶ δυνάμεις ἀπρονοήτους, καὶ κατηναγκασμένα πάθη διατρίβοντας τὸ θεῖον. Qui plura requirit, & apud eundem, & alios quoque autores facile reperiet, ſi modò quæret.

Annis plus minus octoginta poſt Anaxagoram, ita fuit adhuc vulgo eclipſis lunæ cauſſa incognita, vt Nicias dux Atheniēſium vir clariſſimus, propter huius rei ignorationem non parum in Sicilia Athenienſium opes affixerit. Etenim ab eclipſi, cuius cauſſam neſciebat naturalem eſſe, territus, claſſem ex portu educere cum deberet, nō eſt auſus. Si quis Hippocratis teſtimonium flagitet, ne hoc quidem deſtituimur. In principio nanque libri de Veteri Medicina, quem legitimum eſſe conſtat, apertè affirmat, Cœleſtium ſiue ſublimium & ſubterranearum rerum ſciētiam incertam eſſe, atque adeò nihil in his eſſe, cui quis innixus progredi longius valeat. Facilè hinc perſpicitur, Græcos tum rerum Aſtronomicarum non admodum peritos fuiſſe. Quòd ſi aliquos cœleſtium rerum ſtudioſos tum quoque per Græciam fuiſſe contendas, nō repugnabo, ſed vltrò concedam. Satis habeo in præſentia oſtendiſſe, Hippocratem Aſtrologiæ ignarum fuiſſe, & qui ne Aſtronomiæ quidem valdè peritus eſſe potuerit. Rectè ergo aſſeueraui ſuprà, Hippocratem in curationibus ab Aſtrologia ſubleuari non potuiſſe.

Digitized by Google

Diceret hîc fortè Aſtrologus, quomodo verum eſſe poſſit, quod dico, cum ortus & occaſus certorum ſiderum obſeruare iuſſerit Hippocrates? Non neſcio Aſtronomiam ſiderum ortus, occaſus ac motus inquirere, ac docere. Hac de cauſſa ad perdiſcendam eam hortatur Medicinæ candidatos Hippocrates. Sed illo tempore nihil ferè docebat hæc ſcientia aliud. Non ita erant cœleſtium motus, vt hodie ſunt, explorati. Vix inerrantium omnium motus, hoc eſt ortus & occaſus tum ſciebātur. Nec Hippocrates aliud præcepit, cum ſiderum certorum ortum & occaſum inſpicere cognoſcereque imperat, quàm vt mutationes anni temporum, quæ ab illis ſideribus orientibus occidentibus ue circunſcribebantur & denominabantur, diligēter inter ſe diſtingueremus, & quæ cuiuſque priuatim temperies eſſet, ſingulis annis & locis attentè obſeruaremus. Ac vt non me iſta fingere putes, Galenum legito in commen. quos in Aphor. & Epidem. libros Hipp. maximè in 1. conſcripſit, nihilque me dicere perſpicies, quod non antè Galenus explicatiſſimis verbis aſſeruerit.

Hoc magis aliquem mouerit, quod Galenus in 3. Decret. cap. 12. in hunc modum ſcripſit: *A me itaque veritatem ipſam, quantum homini licet, inuentam aſſe puto, quam quidem & Hipp. prius cognouerat, ſicut & præſcriptis verbis nobis indicauit: vulgare autem Medicorum genus præ ſegnitie eam ſubticuit.* Item in 3. com. Prognoſt. com. 1. *Cæterùm*, inquit, *cognouit non primus ſolum, ſed etiam maximè admirandus Hippocrates, decretoriorum dierum naturam, atque etiam indicauit cauſſam generationis eorum, quam nos quoque tractata de diebus criticis docuimus.* In duobus hiſce locis apertè Galenus dicere videtur, Hippocratem cognouiſſe. Lunæ motum in cauſſa eſſe, cur alij dies magis ac melius iudicent quàm alij. Ego verò, etſi hæc omnia concedam Aſtrologis, non video quid contra dicta inde concludere poſſint. Nō enim ſequitur, Hippocrates putauit Lunæ motum cauſſam eſſe dierum Decretoriorum, ergo fuit Aſtrologiæ peritus. Sunt enim hodie permulti, qui hoc credunt, (perperam tamen) & ſunt nihilominus Aſtronomię pariter & Aſtrologiæ imperi-

peritiſſimi. Quinimò certum eſt Hippocratis ætate Lunæ motum nequaquam cognitum fuiſſe. Iam enim monui, Anaxagoram ſub illa tempora non ſine ſuo periculo de ea re primum ſcripſiſſe. Conſtat multis pòſt ſeculis, hanc rem demum perueſtigatam inuentamque eſſe.

Sed iſtis omiſſis, illud potius, quod ad rem propius accedit, expendamus, an Hippocrates crediderit, Lunam eſſe horum dierum cauſſam. Profectò niſi aliud adferatur, non probabitur. Atqui Galenus, dices, affirmat. Ego non quid affirmet hîc ſpecto iam, ſed quid ſit verum conſidero. At probauit, reſpondebis. Hoc ſi ſit, facilè ceſſero. Videamus igitur quo argumento probauerit. Hippocrates neque annum neque menſes docuit integris diebus numerari. Ergo putauit dierum Decret. cauſſam Lunam eſſe. Vel hoc modò, Ergo Hippocr. putauit menſes ita miſcendos eſſe, & ego miſcui. Hæc aut ſimilis eſt Galeni ratiocinatio, vt videre quiſque poterit qui locum perpenderit. Præſcriptis, inquit, verbis indicauit. Ea in principio 9. capitis habentur. Non puto quenquam eſſe, qui aliquid à Galeno hîc probatum exiſtimet. Ego ne quidem voluiſſe hoc Galenum ſuſpicor. Vix enim credo ipſum tale quid de Hippocrate crediſiſſe. Hoc fortaſſe voluit oſtendere, ſe in eo nihil præter Hipp. mentem feciſſe, quod non integris diebus ſeptimanas numerari dixit. Verùm ſiue hoc ſiue aliud voluerit, nemo non videt, rectè à me dictum ac probatum fuiſſe, Hippocratem Aſtrologia non fuiſſe in curando vſum. Quinetiam monui ſuprà, non poſſe eo Aſtrologos iuuari, ſi Hippocratem Lunę motum dies Decret. efficere concedam exiſtimaſſe, quod tamen probari nullis vnquam poterit argumentis.

Quare cum Hippocrates Aſtrologiam prorſus ignorarit, vt quæ Græcis nondum eſſet cognita, vti illa inter curandum non potuit. Plato certè & diſcipulus ipſius Eudoxus Cnidius atque Callippus Cyzicenus primi ferè Græcos Aſtronomica paulò fuſius, luculentius & verius docuerunt, cum ante illa tempora vix amplius quàm elementa deguſtauiſſe non ſine grauibus cauſſis credantur. Nõ erat

neceſſe, cur Plato, Eudoxus atque alij in Aegyptum pro iis addiſcendis nauigarent, ſiquidem domi aptos habere præceptores poterant. Hos ſecutus eſt Ariſtoteles, & eorũ inuentionibus addere aliquid conatus eſt, quem tamen ipſum quoque non peritiſſimum harum rerum fuiſſe conſtat. Quòd ſi totius Græciæ lumina illo tempore tam parum adhuc profecerant, quid de antiquioribus dicere nos oportebit? Vixit Ariſtot. annis ferè 140. poſt Anaxagoram, cum quo Hippocratem floruiſſe clariſſimumq; e fuiſſe ſuprà indicauimus. Et hæc de Hippocrate ſatis.

Iam verò quod & alij omnes poſt ætatem Hippocratis ad Galeni vſque tempora Aſtrologiam vel ignorarint, vel non vſurparint, haud difficulter oſtendatur. Equidem inter Græcos neminem ſcimus Aſtrologica ſerio tractaſſe ante Ptolemæum, quem cum Galeno vixiſſe notiſſimum eſt, quantumuis hic illius libros nõ legiſſe videatur. Quod Eudoxus, cuius ſuprà memini, apud Aegyptios Aſtrologica pariter cum Aſtronomicis hauſerit, certum eſſe puto. Quomodo enim deſpectui habendam iudicaſſet, falſamq; affirmaſſet, ſi non guſtum ipſius aliquem percepiſſet? Indicat Strabo locum in Agypto eſſe ſpecularum Eudoxi nomen habens, quod huc, duce Platone profectus, res cœleſtes ex æditiori loco obſeruaſſet. An aliquis alius inter Græcos ante Ptolemæum huic vanitati opera aliquam nauauit, mihi nondum innotuit. (hunc quia Græcè ſcripſit, quanquam Aegyptium fuiſſe natione minimè neſciam, inter Græcos pono.) Loquor de aſtrologia, vt in ſuperioribus literis aliquoties oſtendi, non aërea illa diuinandi facultate, qua Nautæ & Ruſtici rectè vtuntur, & de qua Aratus multa eruditiſſimè ſcripſit. Attigerunt eandem poetæ interdum. Rerum ruſticarum quoque ſcriptores non raro præcepta quædam ipſius expoſuerunt.

Porrò, vt ad rem redeam, Ptolemæi libros Galenum nõ vidiſſe, argumento eſſe videtur, quòd, cũ de Lunæ motu & menſium interuallo differit, Hipparchum citat: vbi ad Aſtrologica delabitur, autorem Græcum habet neminem, ſed Aegyptios teſtes aduocat. Valde veriſimile eſt, ſi Græ-

cum

eum habuiſſet autorem,non fuiſſe eum Aegyptios pro teſtibus adducturum, quos pro deliris alibi habuit,Græcis verò ſemper plurimum fauit. Fortè tum non erant Ptolemęi opera edita,aut ad ipſius manus non peruenerant,quod ij facilè credent,qui norunt,quàm difficile eſſet ante inuentam artem typographicam exempla librorum ad multos peruenire. Quòd ſi legiſſe eum contendat aliquis,mea nõ multum refert,præſertim cum negare talis nequeat, quin ſit indignus Galeno viſus,vt à ſe citaretur. Certè Aegyptiorum potius teſtimonio vti eum voluiſſe fatendum erit.

Hæc in eum finem paulò expoſui verboſius, vt facilius intelligatur,Medicos qui Galenum præceſſerunt, Aſtrologia non fuiſſe adiutos. Nõ enim ita fuiſſet neglecta à Græcis omnibus,ſi tantum ipſius vſum perceptiſſent. Ac quòd nullus ante Galenum Medicus Aſtrologica ſcripſerit aut docuerit, illud primum probat, quòd nemo id de ipſis prodidit. Leue argumentum,dices, eſt hoc. Fateor & ſcio. At ſi quo pacto ego proponam peruideris, & cætera coniũxeris ; locum ei fortaſſe hîc ſuum eſſe ſines. Alterum eſt, quòd Galenus in omnibus penè artis noſtræ dogmatibus priorum Medicorum ſententias citare, opinionesque recenſere ſolet,quò vel ſuam illorum authoritate comprobet, vel qua in re aberrauerint,demonſtret,nuſquam autẽ Aſtrologicarum rerum ipſos vel gnaros vel ſtudioſos fuiſſe indicat. Sanè ſi quid illos tale vel ſcripſiſſe vel docuiſſe cognouiſſet,illorum potius quàm Aegyptiorum teſtimonio ſua comprobaſſet. Huc addatur,quod affirmat, ſe primum fuiſſe,qui Decret. dierum cauſſam inueſtigare tentarit,atque in Lunæ motum deducere ſtuduerit. Poſtremò nec Galenus nec alij eius ætatis Medici probri loco duxiſſent, ſi ex Aſtrologia præſentire morborum mutationes dicti fuiſſent,ſiquidem exemplo maiorum id facere ſe poſſe arbitrari fuiſſent. At Galenus, vt infrà compluribus ipſius teſtimonijs apertiſſimis demonſtrabo,ignominiam ſibi fieri & contumeliam putauit, quoties ab Aſtrologia in ſuis prædictionibus adiutus diceretur. Deinde ne Romanenſes quidem Medici Galeno, cui propter eruditionem

Digitized by Google

inuidebant,ac malè cupiebant, nunquam pro crimine ipſi obiecturi fuiſſent,ſi quid tale à ſuperioris ætatis Medicis factum ſciuiſſent. Equidem argumentum hinc quoq; minimè leue nobis ſeſe offert ad probandum,quòd Hippocrates non adhibuerit Aſtrologiam in curationibus ex Galeni ſententia. Non enim Galenus pro calumnia & re turpi reputaturus fuiſſet,ſi ea facere dictus fuiſſet,quæ antè Hippocrates abſque omnium reprehenſione feciſſet.

Non vereor,vt boni doctique viri mihi hac in parte ſint aſſenſuri,& mecum confeſſuri, argumenta quæ propoſui, ſatis efficaciter propoſitum probare, præſertim cum, qui contrarium ſentit,pro ſua ſententia nihil æquè firmum ſit allaturus. Nihil enim reperient, quod vel minimam habeat probabilitatem,niſi fortaſſe illius libri autorem Galeno ſuperiorem antiquioremque ſuſpiceris, cui titulus eſt, Prognoſtica ex mathematica de infirmorum decubitu, quem pro patrono ſuprà quoque adducebas. Antiquior Galeno an fuerit, nec ne fuerit, in præſentia non poſſum certis vel argumentis vel ſcriptorum teſtimonijs affirmare. At Galenum non eſſe autorem,ſuprà ſatis oſtendi. Argumento ſatis valido eſſe illud poterat,quòd præter aniles fabulas, & ineptiſſimas ſuperſtitiones atque nugas nihil continet. Deinde quod arti noſtræ maximè aduerſatur: Demum quòd nugaciſs. & ineptiſs. homo fuiſſe præclarè conſpicitur ab omnibus,qui cum iudicio illum librum legerit. Ex hos ipſo, ſi autoritate illius vti me non puderet, facilè probarem,Medicos ipſum nullos legiſſe,qui Aſtrologica tractarint aut probarint Anxiè namque teſtimonia vndique conquirit,vt ſuas nugas Medicis vtiles eſſe probet. Sed fruſtra ſeſe fatigat. Hoc dici fortè non malè poteſt, cum ſi apud Medicos Hippocrate poſteriores aliquid præſidij reperiſſet,nunquam ex Hipp. ad rem nihil facientia producturum potius fuiſſe, quàm certa ex alijs teſtimonia.

Hactenus Hippocratem Aſtrologia non vſum fuiſſe,copioſè valideque probatum à me eſt. Quinetiam plus præſtiti, quàm initio pollicitus fui, quando ne alios quidem

Hippo-

Hippocrate poſteriores Medicos ipſam adhibuiſſe docui. Tempus iam eſſe videtur, vt, quod me in primis oſtenſurum recepi, Galenum ſcilicet in arte facienda nunquam Aſtrologicis obſeruationibus ſiue præceptionibus vſum fuiſſe. Maiore hic mihi conatu opus fore video, propterea quòd in 3. Decret. non obſcurè Aſtrologiæ patrocinari videri poteſt. Hinc illa in multis ſuperſtitio nata eſt, ipſum in medendo & præſagiendo Aſtrologiæ opera vſum fuiſſe.

Præſens quæſtio hæc eſt, vtrum in artis operibus exercēdis Galenus ſolius artis Medicæ opera vſus ſit, an potius Aſtrologicas obſeruationes Medicis pręceptis coniūxerit. Tu vtriuſque beneficio ipſum futura præuidiſſe in ægris affirmas, ego nego, ſed ex ſola Medica arte præcognouiſſe omnia aio. Ratio, qua te moueri oſtendis, hæc eſt, quod in 3. Decret. Galenus Aſtrologiæ viſus ſit fuiſſe, dum ſophiſtas illos appellat, qui talia non crederent, qualia ex Aegyptiorum placitis promiſiſſet. Ego verò hanc ratiunculam tuam imbellem, euanidam & lubricam eſſe probaui. Non enim rectè ſequitur, Galenus opinatus eſt cauſſam dierum Decret. eſſe Lunæ motum. Ergo in exercenda arte Medica vſus eſt etiam Aſtrologia. Suprà monui complures inueniri qui idem putant, non tamen Aſtrologia vnquam vtī in medendo, vt quam nunquam didicerint. Imò ne hoc altero quipem modo rectè colligas, Galenus cauſſam dierum Decret. cenſuit eſſe motum Lunæ ſiue lumen Lunæ. Ergo iſta notitia vtilitatem affert medenti talem, cuius cauſſa Aſtrologiam addiſcere debeat. Si, inquam, verum eſſet, pro mutatione luminis Lunæ mutationes iſtas in ęgris accidere, non tamen ſine Aſtrologia non poſſemus optimè exercere Medicinam. Tam enim eſt iſta res iam nota, vt omnes idiotæ norint, & ex ephemeridibus annuis perfacilè videant. Sic hodie poſt exactam illam anni in ſuos menſes diſtinctionem, quæ à C. Iulio Cæſ. introducta fuit, facilè nos carere Aſtronomia poſſe exiſtimauit Galenus. Etenim quæ tum ex ea ſciētia nos diſcere oportebat, per nos ipſos iam ſcimus, & veluti cum lacte materno imbibimus. Sed hæc extra rem.

Digitized by Google

Naturam morborum medicatrices eſse, eorũque cauſas certis temporum periodis concoquere, mox noxia ab vtilibus ſeparare, ſeparata extra corpus propellere Medicum ſanè conuenit. Vtrum autem ſola temperatura corporis, an alia in corpore ſubſtantia, anima ſcilicet, per temperaturam hæc efficiat, nihil prodeſt Medico ſcire, ſi Galeno credimus. In cauſsa eſt, quòd hæc ſubſtantia ſiue anima noſtra haſce operationes bene aut malè, citò aut tardè, per temperaturã ſemper ſine ea nunquam perficit. Ergo prout hæc eſt bene aut malè affecta, fiunt iſtæ operationes quoq; vel temporius vel tardius quomodocũque anima eſse cogitet in corpore ineſse. Eodem modo inutilis eſt in Medicina iſta diſceptatio de anima, quid ſit & quomodo corpus moueat. Item hæc, an anima congenitis ſiue à Deo ſibi inſitis viribus corpus moueat, an potius à Lunæ motu impellatur. Quòd ſi ex ipſius animæ, contemplatione, quæ ſine medio corpus mouet, ſicut mouere aptum eſt, intelligere non poſsumus quando ſit concoctura, ſeparatura, expulſura: quomodo quæſo ex cauſsæ externæ & præterea generalis ſiue communis conſideratione horum aliquid intelligatur? Etenim cœlum multò magis corpus noſtrum, prout aptum eſt, magis minusque mouet, quàm anima. Qui temperaturæ bonitatem nouit, & quomodo in morbum agat perſpexit, criſim futuram præintelligit, etiamſi de anima, quæ tamen principium eſt motuum omnium, nunquam cogitarit. Multò ergo magis qui hæc pernouerit, criſim præuidebit, etiamſi cœlum eſſe neſciat, aut ſaltem harum rerum cauſas non eſse, quo modo nō ſunt, ſciat. Hæc pluribus ideo expoſui, vt cernerent omnes, me non temerè argumenta tua deſpicere & ridere, ac veluti inutilia & puerilia omni neruo carentia abijcere. Tu iam mea quæ afferre ſtatui, conſidera, examina & pondera diligenter, & ſi quod vitium deprehenderis, ſimiliter contemne & ride.

Ratio prima, & quæ minus fortaſse neruoſa alicui cenſeri poſſit, non contentioſo tamen abundè ſatisfacerit, hæc eſt. Galenus in curando & præſagiendo ſolam Hippocrati-

cam

eam artem, vt nihil ei addiderit præter doctrinam de pulſibus, eſt ſecutus. Ergo Aſtrologia non eſt vſus. Quippe, Hippocrates nec vſus ea fuit, nec vti potuit. Ac ſi vſum ei ſ[illegible] darem, Galenus imitari tamen non potuiſſet, cum ipſius partem nullam Hippocrates docuerit, imò nec docere potuerit. Quis enim tam ſit temerarius, qui Hippocratem in aliquo ſuorum operum loco Aſtrologica docuiſſe aſſeueret? Equidem vbi prædictiones docet, nunquam Aſtrologicarum obſeruationum meminit, quod tamen facere ipſum oportebat, ſi vtilem eſſe ſuſpicabatur.

Sed quia hæc res eſt per ſe teſtata omnibus, noſque ſuprà de ea plura diſſeruimus, illud potius comprobemus, non ex alijs Galenum, ex alijs rurſus Hippocratem futura præſenſiſſe. In libro Galeni ad Poſthumum, in primo ſtatim capite affirmatur, Hippocratem ſicuti aliorum bonorum omnium, ita etiam artis præſagiendi autorem eſſe. Decimo deinde cap. hæc legimus: *Quanquam hæc prædictio nil, quod mireris, continet, ſi eorum memor es, quæ tibi in com. in 1. Hipp. Epidem. librum conſcripſimus, & præterea quæ in libris de Criſibus docuimus didiciſti, &c.* Porrò nihil docuit in illis libris Galenus, quod non ab Hippocrate ſe accepiſſe fateatur. Vnde cap. 13. eiuſdem ſic ſcribit: *Ego verò tibi mearum rerum ſtudioſo, quo pacto id præſciuiſſem, idq; ex Hipp. monumẽtis expoſui.* Et in 3. de Criſ. cap. 8. Equidem hic omnia quæ ad criſin attinent, vel futura prænoſcere, vel iam præſentia dignoſcere ex alijs principijs haud inuenio, quàm ex ijs quæ ſuppoſuit Hippocrates. Complures alij loci paſſim reperiuntur. Ego vnicum adhuc ex cap. 12. libri iam antè citati adſcribam. *Tu verò,* inquit Galenus, *mi Poſthume, ſcis omnia me ab Hippocrate dicta monſtraſſe, quæcunque hiſce de rebus cõſcripſi, & te vidente prædixi, præter pulſuum ſcientiam nihil adijciens, quam etiam ſolam Hippocrates non attigit.* Non puto apertius aliquid dici poſſe. Neque neceſſe iudico eſſe, vt pluribus confirmare coner, ex iiſdem vtrunque prædixiſſe.

Sic igitur argumentum, ſi paucis complecti omnia velimus, habet. Galenus non ex alijs vllis indicijs aut ſignis prædixit, quàm ex illis, quæ Hippocrates nobis obſeruanda

Digitized by Google

præſcripſit in libris,quos hodie quoq; habemus, nec quicquam illis adiecit præter doctrinam de pulſibus. Atque Hippocrates Aſtrologiæ non meminit,nec diſcẽdam eam nobis putauit,quin ipſemet ignorauit. Ergo ne Galenus quidem ab ea adiutus fuiſſe in ſuis prædictionibus cenſeri poterit. Argumentum efficax & validum foret,quod ad concluſum attinet,etiamſi concederem, Hippocratem Aſtrologia vſum fuiſſe, nobiſque eam commendaſſe. Non enim deſunt,qui inſcitè locum ſuprà expoſitum, & præterea quod in prognoſticis τὸ θεῖον obſeruandum imperauit, ad hoc probandum in medium adducere ſolent. De priore loco dixi,quomodo eum Galenus intellexerit,longè aliter nimirum quàm vellent Aſtrologi. Quod poſteriorem quoque non de Aſtrologia intellexerit ac expoſuerit, ſed de aëris temperie accipi voluerit, ex ipſius commentario tam dilucidè patet, vt planius explicari à me non poſſit. Quare ſi Hippocratem aliquid Aſtrologici ſcripſiſſe concederem,quod falſum eſſe,atque adeò fieri ab eo non potuiſſe oſtendi, nihilominus rectè concluſiſſem ,Galenum ea non fuiſſe vſum. Etenim Hippocratis principia tãtum, nihil illis præter pulſus adijciens, imitatus ſecutuſque eſt, vt ipſe intellexit. At quæ Aſtrologi ſuis fabulis ſtultè arbitrantur patrocinari,Galenus ſecus explanauit,atque intellexit. Quare perinde eſt, quod ad hanc rem attinet, ſiue vſus Hippocrates fuiſſe putetur, ſiue non vſus Aſtrologicis figmentis ſciatur. Ex his apparet quibus nitantur fundamentis Aſtrologi, falſis ſcilicet,quæque,ſi concedas,nihil tamen eos iuuent. Rarò etenim ex datis concluſio rectè ac neceſſariò ſequitur. Sed hæc alio in loco,iam ad inſtitutum redeundum videtur.

Ratio altera hæc eſt. Galenus artem præcognoſcendi omnes in morbis mutationes ſæpe nos ſtudioſè docuit, atque ita quidem docuit,ſicut ipſe eam per omnem vitam exercuit,Aſtrologię verò nullo in loco meminit. Ergo huius beneficio ſiue præſidio nihil vnquam præuidit. Non arbitror quemquam ita diſtorto eſſe animo & iudicio, qui ipſum aliquid nos celare voluiſſe ſibi perſuadeat, atq; ali-

quid

quid eorum omiſiſſe credat,quibus adiutus ipſe in præſagiendo fuerit. Non hanc modò partem,ſed vniuerſam artem abſolutè integreque docuit,nihil aut neglexit, aut omiſit,quod præcipuum aliquem vſum habeat. Id vel ex eo vnuſquiſque perſpiciat, quod ne hodie quidem aliquis melius ſe eam perfectiusque docere poſſe ſperat,quàm ipſe docuerit. Porrò paſſim affirmat, ſe ſolius artis Medicæ præſidio & curaſſe & prædixiſſe,nulla diuinandi facultate vſum fuiſſe. Ex quo certè efficitur,ipſum eadem illa præcepta in curando ſimul & præſagiendo obſeruaſſe,quæ nobis obſeruanda preſcripſit. Teſtimonia huius rei qui apud ipſum cupit videre,legat cap.5.7.10. libri ad Poſthumum, expoſitionem 17. ſententiæ in 3. com. lib.1. Epidem. Quanquã verò verba,quæ in fine 10. cap. ad Poſthumum ſcripta ſunt, homini moderato abundè probent perfectiſſimè ipſum nos præſagiendi artem docuiſſe,non grauabor tamen alijs quoque teſtimonijs idem illud plenius confirmare.

Præcognoſcere nihil aliud eſſe,libro citato cap.12. in fine ſcribitur,quàm exactam affectuũ corporis notitiam obtinere. Quòd ſi hoc eſt verum,is nos optimè præcognoſcere docet,qui nos affectus corporis perfectiſſimè cognoſcere docet. Atqui nemo Galeno melius nos docuit quomodo affectus corporum cognoſcamus. Quare omnium ipſe optimè nos docuit futurorum præſenſionem, nec aliquid neglexiſſe dici poterit. In cap.9. eiuſdem libri hæc habetur: Si per te ipſum diſcere voles,qua diſciplina prædixerim ea, quæ in altero Quintilij filio prædixi, facile tibi & dilucidũ erit,ſi libros de Criſi à me conſcriptos leges. Porrò in libris de Criſibus omnes morborum mutationes docere ſe affirmat,quomodo ſcilicet cùm præſentes dignoſcendæ, tum futuræ prænoſcendæ ſint. Huc illa etiam pertinent, quæ 18. cap. de conſt. artis Medicæ,& vlt. cap. libri primi ad Glauconem, & 4. de Præſag. ex pulſib. cap. 11. idem ſcripta reliquit. Non verò obijci nobis poteſt, illis nos libris,in quibus explicata hæc ſint,carere. Extant enim nunc omnes, neque vllam Aſtrologicarum fabularum mentionem continent.

Conſidera hoc loco,quantæ ignauiæ & tarditatis Gale-

num inſimulent, qui abſque Aſtrologia non facile cum aliquid prædixiſſe, imprudenter affirmant. Quis quæſo tã fuit vnquam iners & obliuioſus ſcriptor, qui artem aliquã ex profeſſo docturus, eius partis, quæ in propoſita diſſertatione ſi non primas, at ſecundas partes obtinet, nunquam meminerit? Mirum profectò ſit, Galenum eius rei, ſine qua pauca ipſe præſagire præuidereque ſolitus eſſet, recordari nunquam potuiſſe, cum præſertim tam crebrò illa ipſi repetenda fuerit diſputatio. Si libri, quos de Criſibus compoſuit, poſtremi fuiſſent, non tamen ex animo excidiſſe potuiſſent, quæ tam neceſſaria vtiliaq; expertus ipſe frequenter fuiſſet. Multò minus id nobis de eo nunc cogitare licet, cum tam multos poſt horum editionem conſcripſiſſe ipſum videmus. Quòd ſi in illis oblitus fuiſset, in his ſaltẽ indicaſset. Quamuis verò ſemper aſseueret, ſe omnia quæ vtilia eſse cognouerit docuiſse, Aſtrologiæ tamen præcepta nulla vnquam tradidit, quæ obſeruare nos iuberet. Quare ne hanc ignauiæ notam ei inurere velle putemur, (Quanquam non Galenum ignauum & obliuioſum, ſed ſe ipſum ſtupidum, obſtinatumque declarat, qui aliter ſentit.) id quod res eſt fateamur potius, ipſum nihil omiſiſſe, quibus eſt in præſagiendo vſus: ſed ſumma nos fide cuncta docuiſse, quæ ad futurorum in ægris præſcientiam vel ratione perceperit vtilia, vel experientia didicerit. Quòd ſi in tota illa doctrina nullam Aſtrologiæ mentionem fecit, ideo ab eo factum eſſe conſectarium eſt, quia nec ratione nec experientia vtilem eſſe inuenerit. Ex quibus omnibus apparet, ipſum non aliter tum affectus ipſos corporũ, tum eorundem permutationes præcognouiſſe, quàm in ſuis nos libris vtrunque cognoſcere præclariſſimè docuit.

Equidem qui mediocriter eſt in Galeni lectione verſatus, non ignorat, ipſum, dum ſuas quaſdam ſiue curationes ſiue prædictiones recitat, & ex quibus tum curarit tum prænouerit, percenſet, illorum tantum meminiſse, quæ ſuis in commentarijs antè expoſuiſset, Aſtrologiæ verò ne quidem vnico verbulo recordari. Exempla ſi quis videre ac legere cupit, cap. 2. & 3. ad Poſthumum de Eudemo philoſopho,

loſopho,& cap.vltimum 5.libri de Locis affect. de Medico Siculo inſpiciat. In omnibus ferè commentarijs,ne in citatis tantum locis tibi quærendum opineris,aliquid inuenies, quo hæc noſtra tum illuſtrentur tum confirmentur. Nos in re minimè dubia longiores eſſe nec volumus nec debemus,præſertim cum,quæ dicenda ſuperſunt, præcedentia ſemper magis corroborent. Sic enim inter ſe omnia connexa eſſe,meminiſſe te velim,vt non minus præcedentia ſequentibus comprobari, quàm ſequentia antecedentibus confirmari & illuſtrari queant. Quare ſi Galenus ex ſola Medica arte,quam nos perfectè docuit, præſagiuit, ſi exactam corporis affectuum notitiam nobis tradidit, ſi denique,cum ſuas prædictiones enarrat,ex ijſdem illis, nō alijs,ſe omnia præcognouiſſe aſſeueranter affirmat,ex quibus nos eadem præintelligere docuit: conſectarium prorſus eſt,eadem ipſum ratione proſpexiſſe futuras in morbis permutationes,quas nos proſpicere docuit. At ſine Aſtrologia nos omnia talia docuit. Sine igitur ipſa præuidit eiuſcemodi omnia.

Neque eſt cur aliquis argumenta hæc effugere ſe poſſe ſperet,ſi eodem modo Galenum futura prænouiſſe dicat, quo nos prænoſſe abſque Aſtrologia docuit:multò tamen facilius ac melius hanc rem nos conſecuturos eſſe, ſi ad Galeni præcepta Aſtrologiam adiungamus. Non enim id in hoc loco quærimus,an ars præſagiendi,quam Hippocrates primùm docuit, deinde Galenus illuſtrauit ac perfecit, ab Aſtrologia perfectior ac facilior reddi poſſit. Hoc quærebatur, an artem, qua ipſe præſagijſſet nos perfectè docuiſſet,id quod ſatis oſtenſum iam arbitror. Cæterùm ſi rem accuratè examinemus,facilè intelligemus nihil ei poſſe addi. Et quod ab Aſtrologia nihil ipſi commodi perfectioniſque accedere queat,nemo ignorat,qui mendacium veritatem perficere non neſcit. Sed hic Medicè,quod dixi, probandum eſt.

Hoc mihi ab omnibus conceſſum iri nihil dubito, Galenum,poſt Hippocratem,talem ac tantam curandi ac præſagiendi facultatem atque peritiam adeptum fuiſſe,qua

Digitized by Google

nemo ampliorem ac perfectiorem temerè expetat. Nemo certè poſt ipſum tanti ingenij tantæque eruditionis extitit,qui ſe in arte Medica ipſi parem, ne dicam ſuperiorem eſſe profiteri auderet. Talis ac tantus præſagiendi artifex,cum ſolius Medicæ artis beneficio fuerit,fruſtra deſideramus perfectionem hac quam nobis Medicina præſtat ampliorem. Nam ſi eam ita didicerimus, vt in prædicendo nunquam offendamus,ſed omnes omnium morborũ mutationes, quæ arte præſciri poſſunt, præterea diem & horam in qua futuræ ſunt,cum Galeno præuideamus, nihil puto amplius deſiderabimus. Dixi quæ præſciri poſſunt. Non enim omnes mutationes,ſed illas tantum, quæ ui morbi eueniunt, poſtquam cauſſa ipſius certo in loco conſtitit,præſciri poſſe Galenus atque ratio probant. Cæterùm quod in re nulla prædicenda Galenus offenderit, ipſe de ſeipſo grauiter teſtatur in expoſit.17. ſententiæ in 3. comm.libri 1. Epidem. & in interpretatione 20. ſententiæ com.2. in lib. de humoribus Hippocr. Quod verò diem atq; horam prænouerit, notius eſt, quàm vt probationem eius hic à me aliquis expectet. Quod quomodo hæc omnia ipſe cognorit, ac nos cognoſcere poſſimus, planè copiosè apertè docuerit, controuerſia iam carere exiſtimo. Cui ergo hæc doctrina imperfecta videtur, ei quid perfectum ſit non video. Quamobrem fruſtra & inaniter perfectionem reddere Aſtrologi tentauerint.

Sed præſtat hanc rem exactius tractare. Exactam corporis affectuũ notitiam,non ex aſtris,ſed ex illis indicijs, quæ in corporibus apparent,& quę ars Medica docet, petendã & cognoſcendam eſſe cuncti Medici intelligunt & concedunt. Quinimò non Medici tantum, ſed omnes omnino homines ſani verum eſſe vident. Atqui futurorum cognitio nil eſt aliud,teſte Galeno in fine cap.12. ad Poſthumum, quàm exacta corporis affectuum cognitio. Ergo ex indicijs iſtis,quæ ars Medica docet, non ex aſtris deſumendum & cognoſcendum eſt,quid ſit in morbis futurum. Ex iſtis clarè intelligitur, quòd nihil adfert cõmodi notitię affectuũ corporis,præſenſionem adiuuare, melioremque reddere nequa-

nequaquam poſſe. Quomodo verò aliquid hîc nos lunæ motus doceat, ne fingi quidem poteſt. Etenim in ipſo corpore ſigna iſta, non in cœlo, tum morbum tum cauſſam eius conſequentia apparent. De his Galenus in multis libris diſputat, fonteſque eorum omnes diligentiſſimè explicat. In 1. comm. in librum Hipp. de humoribus, in declaratione 11. ſententiæ inter alia ſic ſcribit Galenus: *Vult enim ipſe*, (intellige, Hippocrates) *è morbis ſumi rationem præſagiendi, quid futurum ſit, quod nos prolixo ſermone, cum in lib. de Criſibus, tum verò etiam in comment. in Aphoriſmos editis explicauimus.* Nolo iſta pluribus exponere, ne quod nemo ignorare poteſt, probare velle videar.

Omnes certè in ægris euentus & mutationes morborũ, aut vi morbi, aut naturæ aut vtriuſq; efficiuntur, vt à cauſſis proximis & proprijs. Nemo arbitror tam eſt imperitus, vt Lunã vel aſtra hæc efficere in nobis credat, non interuenientibus iam dictis cauſſis. Nec moueri quidem has ab illis cogitabit aliter, quàm aptæ natæ ſunt moueri. Quo fit, vt perfectionis nihil conferre notitia remotę iſtius cauſſæ prorſus rectè credatur. Non cuiuſque rei perfectiſſima cognitio tunc ſolum habetur, cum cauſſa effectus cuiuslibet propinquiſſima & immediata eſt exploratè cognita? Equidem quanto cauſſa minus eſt propinqua & propria, tanto notitia effectus eſt incertior. Atque hoc eſt, quod philoſophi omnes affirmarunt, confuſam eſſe notitiam, quæ ex remota & vniuerſali cauſſa orta ſit. Confuſiſſimam autem & ad nihil rectè intelligendum vtilem, eam eſſe, quam remotiſſima & maximè generalis parit cauſſa, quiſque per ſe intelligat, etiamſi ab illis non fuiſſet dictum. Doctrinam Hippoc. ac Galeni non alia de cauſſa omnes omnibus ætatibus docti tantopere commendarunt, quàm quòd ex proprijs cauſſis effectus quoslibet intelligere cognoſcereque docet, non ad improprias communes remotas, quod Aſtrologia facit, lectorem dimittit. Quis negare poterit cœleſtia corpora earum rerum, quæ hîc apud nos fiunt, remotiſſimas generaliſſimaſque cauſſas eſſe, ideoq; non niſi confuſiſſimam earum notitiam in nobis gignere

poſſe? Quamobrem Galenus, cum nos præſagiendi artē diſtinctè docere conſtituiſſet, ac ex proximis eā proprijsq́; cauſſis, non remotis & indefinitis, petendam præclarè intelligeret, ex affectibus & indicijs in corporibus apparentibus, tanquam certiſſimis & continuatis quaſi cauſſis, futuros euentus proſpicere docuit. Vnde quodam in loco, ſic ſcriptum reliquit: *Nam futurorum præſagia ex præſentibus ſumi, quamuis iam antè ſæpe demonſtrauimus, tamen omnia nunc etiam ſummatim neceſſe eſt vt percurramus, hinc induto exordio de euentis qui expectantur, dignoſcendis*. Sed hæc mox pluribus exponentur, magisque confirmabuntur.

Hoc in loco vnicum adhuc monebo, Galenum non putaſſe per Aſtrologiā aut aliam diuinandi quamlibet facultatem, veri aliquid de ægris prædici potuiſſe. Romæ Vates tale nihil potuiſſe diſertè affirmat, de aliarum vrbium Vatibus periculum ſe non feciſſe dicens. Recitabuntur infrà verba Galeni hac de re. Quo in loco illud etiam probabitur, ipſum ex hoc numero Aſtrologos non exemiſſe, ſed non minus de ipſis, quàm alijs quibuslibet, locutum fuiſſe. Ex iſtis quæ hactenus expoſuimus liquidò patet, nihil addere Aſtrologiam perfectionis arti noſtræ poſſe, ne ex Galeni quidem ſententia. Ergo validè me concluſiſſe iam apparet, Quia Galenus per eandem methodnm futura in ægris prædiuinarit, quam nos perfectè, vt addi nihil poſſit, docuit, neque tamen Aſtrologiæ mentionem aliquam fecerit, ipſum Aſtrologia minimè vſum, vel in curando vel præſagiendo fuiſſe. Has neque tu, neque alius Aſtrologus, ſcio rationes diſſoluet. Nihilominus tamen alias adhuc euidētiores etiam cauſſas adijciam, vt argumentis nos deſtitui non poſſe perſpiciatis.

Tertia ratio principalis hæc ſit, Galenus, quem in medendo optimi quique omnibus poſt ipſum ſeculis ſecuti & imitati ſunt, nihil vnquam circa ægros futurum prędixit, quod non iam præſens aliquo modo eſſe, ac fieri incœpiſſe cognouerit, hoc eſt, cuius non iam aliquid factum ex ſignis in corpore apparentibus perdidicerit. Quod quomodo intelligi debeat, accuratius exponere tentabo. Ita Gale-

nus

nus futuras in ægrotis mutationes præuidit, vt Nautæ tempeſtates, Ruſtici fructuum copiam aut inopiam proſpicere ſolent. Nautæ cum nubeculam, perpuſillam licet, certo motu per aërem ferri cernunt, atque inde vnde illa mouetur ventum exortum perſpiciunt, eam paulò poſt orituram tempeſtatem, quam ventus, qui ſpirare incœpit, ſecum trahere conſueuit, pronunciant. Imperiti harum rerum, qui minimas & vix apparentes ipſis motiones non obſeruant, nec obſeruare poſſunt, talia admirantur, atque pro miraculo habent, ignorātes ſcilicet illud ipſum, quòd futurum eſſe audierunt, iam tum cum euenturum diceretur fieri incœpiſſe, ſe autem id latuiſſe. Simili ratione & modo Agricolæ tempeſtates, ex alijs tamen indicijs, fructuum vbertatem, & huius generis alia præcognoſcunt. Galenus exemplum arborum & plantarum proponit conſiderandum. Quod quia nō modò illuſtrat negocium propoſitum, ſed etiam corroborat, adſcribendum duxi. Sic igitur in principio comm. in lib. Prorrhet. Hippocratis ſcribit: *Nempe in illis rationi conſentaneum eſſe videtur, non poſtea venturam præcognoſcere nos acceſſionem, ſed incipientem iam dignoſcere ex pulſuum permutatione. Quoniam verò nondum inſignem acceperit magnitudinē, vt ægro quidem tanquam dicenda conſpicuè videatur, à nobis vero, vt tanquam iam facta cognoſcatur. Hæc res non aliter, quàm plantæ è terra ortæ dignoſcitur. Quas Ruſticus quidā, vel qui in herbis omnibus dignoſcendis eſt peritus, confeſtim internoſcit, cæteris verò incognitæ manēt. Agros ſiquidē herbas germinatione ſimillimas ferre cōſpicimus, quas nos quidē non internoſcimus, Ruſtici verò internouerunt, quid nā ſcilicet ex his herba ſit, quid triticū nuper enatū, quid hordeū, quid Zea, quid aliorū vnūquodque. Ad hunc modum quoque res habet in arboribus, nēpe & eas, cū ſunt partibus ſuis omnibus abſolutæ vniuerſi cognoſcimus. Cū verò enaſci incipiunt, omnino à paucis cognoſcuntur. Sermonē igitur hunc tanquā admodū probabilē commendare oportet.* Eodem ferè exēplo vtitur in 2. lib. de Criſibus, cap. 2. Item lib. 14. Meth. Therapeut. cap. 9.

Ita, inquit Galenus: *Cognoſcit Medicus futuras morborum*

mutationes,ſicut Ruſticus nouit ex qua planta nuper ex terra orta aut quercus,aut ficus,aut hordeum aut aliud tale quippiã ſit naſciturum. At Ruſticus hic quercum,ibi ficum naſcituram ex eo nouit,quòd iam natas conſpicatus eſt,atque propter experientiã vſumq́; nouit inter pullulãtes plantas diſtinguere, quas imperitus aliquis non internoſcit ,ſed eiuſdem eſſe omnis generis opinatur. Ex quo efficitur, Medicum quoque ex Galeni ſententia hoc aut illud quodlibet euenturum prædicere, quia exortum iam ſit, at propter paruitatem imperitos adhuc lateat.

Et ne aut dubites hanc fuiſſe Galeni mentem atque ſententiã,aut non de omnibus affectionibus mutationibusúe intelligendam cogites,lege quæ in expoſ.4. ſentẽtiæ in eodem comm.ſcripſit. *Dixi autem & antè*, ait Galenus ,*exordientis affectionis notas,prognoſtica ſigna eſſe eius quæ iam cõpleta eſt.* Adhuc clarius mox in declaratione.5. dictionis ita ſcribit: *Primum quidem promtè aſſumunt illud,ſolos eos videlicet morbos, qui cum proprijs magnitudinibus abſoluti ſunt, proprijs nominibus appellari,confirmantes non parum eum ſermonem,qui inter initia à nobis dictus eſt,nempe , quòd nullum futurum pathema à Medicis præſentiatur: verùm eorum quæ iam principium quidem generationis habent,ſed nondum propter paruitatem vulgò cognita ſint,facta ab artificibus cognitio idiotisq́; pronunciata,præſenſio apud illos exiſtit,ita vt & Phrenitici iam ab artificibus cognoſcantur,affectione in cerebro nuper conſiſtente,&c.* Idem ferè inuenies in 3. comm.in eundẽ librum in explanat. ſententiæ 8.

Neq; in prædictis locis ſolũ,quæ huc faciũt,ſed ſæpe aliàs in illis cõmẽtarijs.ſed nec in iſto libro tãtũ ita ſenſit. Quod vt intelligatur planius, vnũ atq; alterũ adhuc proferã. In fine 8.cap.libri 3.de difficultate reſpirationis hæc leguntur: *Eſt autẽ bonorũ Medicorũ opus,non quæ idiotis iam apparẽt præſagire,ſed quæ ipſos latẽt: & cum nihil æger mali habere putetur,apparent.* Præclarè hanc rẽ illuſtrant & cõprobant quæ in interpret.6. ſententiæ in 3.Prognoſt.& cap.18.de artis Medicæ conſtitutione ſcripſit, quæ huc tranſferre nimis longum foret. Hinc iam omnes intellecturos ſpero,quàm verè

rè dixerim, Galenum nihil in ægris futurum antè prædixiſſe, quàm fieri iam atque produci à proxima cauſſa cognouiſſet, ſiue eſſe iam perſpexiſſet, idque ex ſignis, quæ non in cœlo, ſed corporibus ægrorum apparuiſſent. Hoc poſtremum ſuprà ſatis eſt oſtenſum, quando ab Aſtrologia nihil arti huic perfectionis accedere poſſe probaui. Qui plura deſiderat expoſ.5.ſent.in 1.Prognoſt.& quæ ex fine 12.cap ad Poſthumum ſuprà adduxi. Item cap.18. de art. Med. conſtitutione. Clariſſimè verò in 4. de præſagio ex pulſibus cap.11. Hoc in loco tam apertè & diſertè oſtendit Galenus præſagia futurorum ex præſentibus in corpore affectibus ſumi, vt qui præterea aliquid deſideret, is meritò carere iudicio dicatur atque communi ſenſu. Totum illud caput diligenter perlegat, cui nondum eſt ſatisfactum. Quinetiam qui rem per ſe ipſam cognoſcere cupit, modò non prorſus iudicio priuatus ſit, perfacile ita neceſſariò habere eam, vt dixi, oportere perſpiciet. Hactenus liquet veritati, rationi, Galeni & Hippocr. doctrinæ, imprimis conſonum eſſe, negarique non poſſe, quin rectè affirmauerim, Galenum nihil futurum prædixiſſe, niſi hoc ipſum quod iam aliquo modo eſſe fieriq́ue exploraſſet, quantumuis imperiti perſpicere propter exilitatem & paruitatem nondum poſſent. Hoc enim artifex maximè ab idiotis differt, vt in Prognoſt. loco paulò antè citato pulchrè exemplo inter ſe pugnantium declarauit Galenus.

Hunc locum diligenter vnà cum alijs ponderare & examinare illos velim, qui quomodo ſæpe triduum vel quatriduum Galenus criſim prænorit, ſecum dubitant. Nō enim tum incœpiſſe dici poteſt, & paulatim aucta eſſe donec cōpleretur. Eſt enim ſubita quædam mutatio criſis. Qui ita, inquam, hæſitat, hunc & ſimiles locos perpendat, facileq́ue ex difficultate, quæ reuera nō magna eſt, ſe extricabit. Qui hoc modo, quæ futura in ægris eſſent, præſenſit, poterit is ex Aſtrologia præuidiſſe? Neminem quantumuis ſtupidū affirmaturum cenſeo. Ergo cum Galenum haud ſecus prædixiſſe iam conſtet, velis nolis concedere omnino cogeris, cū Aſtrologia in exercēda arte Medica nō fuiſſe vſum.

Tribus huc vſque argumentis præcipuis (Nam qui numerum magis, quàm robur ſpectat, is in vno facile plura inueniet) Galenum in curando & præſagiendo nō fuiſſe ab Aſtrologia adiutum neruoſiſſimè perfeci concluſique. Primum huiuſmodi ferè eſt. Galenus ex ijſdem futuros morborū euentus præuidit, ex quibus Hippocrates eoſdē præcognouit, ac præcognoſcere alios docuit, nihil illis preter pulſuum notitiam adiecit. Atqui non vſum fuiſſe Hippocratem Aſtrologia, non ipſi tantum verè diximus, ac validis argumentis probauimus, ſed ipſe etiam Galenus credidit, vt eſt expoſitum. Galenus igitur nihil ſubſidij aut auxilij ad curandum ab Aſtrologia vel expectauit, vel percepit. Altera talis eſt ratio: Galenus artem ac methodum, qua inſtructus futura in morbis omnia præuidit, nos integrè perfecteque docuit, Aſtrologiæ verò non commeminit: Non eſt igitur ipſa vnquam vſus ipſe, nec vti nos ea voluit. Equidem legimus aliquot narrationes, in quibus ſuas quaſdam tum curationes tum præſenſiones recitat, ac quibus & quomodo vel curarit, vel præuiderit, vniuerſa percenſet, nunquam tamen Aſtrologicis vſum ſeſe affirmat. Vnde non rationibus tantum, ſed etiam exemplis, (quibus cauſſa nihilominus quam cæteris argumentis comprobetur) noſtra confirmari vndique omnes perſpiciunt. Tertiæ hæc eſt: Galenus nihil præſciri prædiciúe poſſe cenſuit, cuius non iam aliquid factum, & quaſi principium appareret, aut cuius vera & propria cauſſa non iam actu ſuū producere effectum incœpiſſet. Hinc nemo non videt, Aſtrologia eum vti non potuiſſe. Non ex cœlo, ſed ex indicijs, quæ in corporibus extant, quorum dignotionē diſtinctionem, & ſignificationem ſola Medica ars docet, affectiones cognoſci & diſtingui poſſunt. Ex his præſentibus futura conijciunt Medici, vt ſuprà verboſè ſatis declarauimus. Valde ſtultum eſſe oportet, imò prorſus inſanum, qui, cum iam aliquid fieri ac generari ante oculos ſuos videt, ex cœlo hoc ipſum cognoſcere velit. Neque enim res vlla, vtrum ſit, an non ſit, melius ex alijs, quàm vel ſua ipſius præſentia, vel immediatę cauſſę actione cognoſci poteſt.

Has

Has rationes tametſi certò ſcio neminem confutaturum eſſe, utut obſcurare & inuoluere eas Aſtrologi conentur, non tamen ſcribendi finem antè mihi faciendum hîc duxi, quàm etiam quartam adderem, quæ iam dictis adhuc euidentius & clarius propoſitum demonſtrat.

Galenus probri loco habuit, & pro calumnia atq; ignominia reputauit, ſi ope atque auxilio diuinatricis facultatis, inter quas Aſtrologiam etiam cõnumerari voluit, prædixiſſe aliquid dictus fuiſſet. Ergo ſolius Medicæ artis beneficio abſque Aſtrologia omnia circa ægros præuidit. Primùm, quod ſolius Medicæ artis ope prædixerit, frequenter ab eo dictum eſt. In 7. cap. libri ad Poſthumum, ſic ait. *Hic ego vt pueri venam pulſantem in brachio attigi, ſine febre quidem eſſe pronunciaui, me verò deludendi hiſce qui me vatem appellare conſueuiſſent anſam dare. Excipiens Boëthus, & ego, inquit, in comparationem illorum ſoleo te re uera vatem, vt ſcis, appellare, quoties aliquid prædicis, quod æmuli tui negant Medica præcognoſci facultate poſſe. Atqui hactenus, ſubiunxi, ea omnia te docui Medica arte inueniri, priſcosq́; aliquot Medicos de hiſce conſcripſiſſe.* Et ſub cap. finem. *Hæc ſimul atq; Boëthus audiuit, per Deos, inquit, non miror, cum ita inueſtiges, ſi nullus alius Medicus iſta ſciat? Perſpicuum autem eſt eos neſcire, cum ipſi quod tu facis nunquam efficiant, & te iſta alio quouis modo potius quàm Medica arte facere diuulgant.* In eodem lib. cap. 5. *Mihiq́; perinde atque omni ex parte ſuperati detrahebãt, (Medici Romanenſes) huc illuc per vrbem vertitantes varia diuulgabant, Alius caſu me quempiam ſanaſſe, periculoſoq́; admodum curationis genere vti, alius diuinatrice peritia, nõ arte Medica quid in morbis futurũ eſſet prædicere.* Eandem ſententiam reperies cap. 10. eiuſdem libri. De cauſſis procatarct. cap. 1. Secũdo de febr. differ. cap. 7. Prognoſt. 3. in principio expoſitionis 7. ſententiæ. De Simpl. med. fac. 10. cap. de ſanguine Crocodili, vbi ſic ſcribit: *Et cauebã ne præſtigiaturæ opinionẽ meritò referrẽ, cũ iã etiã improbi quidã Medici, ex diuinandi quapiã arte, non ex ſpeculatione Medica, me in morbis ſolere prædicare calumniarentur.*

Satis, niſi fallor propoſitũ demõſtrauiſſem, niſi Aſtrolo-

Digitized by Google

gos mihi obiecturos ſuſpicarer, Galenum nullam feciſſe Aſtrologiæ nominatim mentionem, ideo non debere prędicta teſtimonia de ea intelligi. Hos iubeo, vt cum alios huiuſmodi locos, quorum capita notaui (omnes adſcribere ſuperuacaneum & longum nimis fuiſſet) tum poſtremũ diligenter examinent. Id ſi fecerint, nullam excipi diuinatricem facultatem, qualiſcunque tandem ea ſit intelligẽt, vna Medicina excepta. Ex ſola arte Medica ſe prænouiſſe omnia aſſeuerat, artem diuinatricem nullam ſe adhibuiſſe aſſerens. Sanè qui de omnibus loquitur nihil eximit. Inanis igitur eſt hæc Aſtrologorum excuſatio. Quinetiam Vatem ſe eſſe negauit conſtanter, vt ex dictis dicendiſque intelligi poterit. At omnis Aſtrologus, quatenus talis, Vates (μάντις) rectè appellatur, atque etiam exiſtit. Ars etenim quam profitetur, & à qua denominatus eſt, ex genere eſt τῶν μαντικῶν. Malè ergò Galenus negaſſet, Vatem ſe eſſe, ſi Aſtrologica vaticinia coluiſſet vel cum vel ſine Medicina. Futile ergo eſt hoc eorum effugium, & verè Aſtrologicũ.

Hæc quanquam ſatis probant doctis ac moderatis veritatiſque amantibus rem propoſitam, non tamen non firmiora & planiora ſubijciam, atque oſtendam Galenum nominatim etiã Aſtrologiæ feciſſę mentionem, vt quo ſe recipiant, omnino non inueniant. Quo autem intelligatur res melius, ac verum ſimul perſpiciatur, eum ſub genere etiam ſpeciem hanc complecti voluiſſe, duos locos de eodem caſu atque ægro ſcriptos producam, in quorum altero generatim, in altero ſpeciatim Aſtrologiæ cum alijs quibuſdam Hariolandi modis commeminit. Prior eſt in 1. Epid. comm. 3. expoſitione 17. ſententiæ: *Ego verò hanc ſpeculationem etiam cum apud Eudemum philoſophum prædicerem, qui tribus tenebatur quartanis, primam de illis receſſuram primum, quæ certis diebus inuadebat: & poſt totidem circuitus ab hac depulſa alteram certo die: ſimiliq; modo cum poſtea tertiam prænunciarem, ex diuinandi arte hæc prædicere iactabant non ex Medica ſpeculatione: tametſi Vates nunquam vidiſſent vera Romæ de ægris prædicentes. Nam illorum qui alijs in vrbibus ſunt, nullum feci periculum. Nos, quod Deo approbante dicam,*

cam, nulla re vnquam prædicenda offendimus. Atque ſi ea quæ de iudicijs ſunt expoſita mediteris, Hippocrate eris arteq; dignus. Hactenus Galenus. Eandem iſtam hiſtoriam reperies in 2.com. in lib. de humoribus expoſitione 20. ſentẽtiæ, vbi poſtremò hæc etiam verba leguntur: *Ac nos non modò in illo homine, ſed etiam, quod Deo approbante dictum ſit, in nulla vnquam prædictione offendimus.* Hunc locum Aſtrologos diligenter examinare maximè velim, quo tandem intelligere inciperent diuinandi modos, vel Galeni experientia inutiles eſſe ad Medicas præſagitiones. *Nunquam*, (obſerua quod ait, Nunquam) *Romæ Vates, quicunque tandem illi eſſent, aut per quemcumq; modum vaticinarentur, vera de ægris prædixiſſe ſuo tempore viſos.* (Nam quod ſub his etiam comprehendi Aſtrologos velit, partim ex iam dictis, partim ex dicendis patebit.) Ergo Aſtrologi nunquam Romæ viſi ſunt vera de ægrotis prædicere. An in alijs vrbibus vera prædixerint vnquam, ignorare ſe fatetur, quod nullum fecerit periculum.

An non hinc liquet, ipſum nec Romæ nec alibi Aſtrologia vſum, aut modum alium quemlibet diuinandi cum Medicina coniunxiſſe? Si nullum alijs in vrbibus Vatum periculum fecit, ac Romæ ſemper mendaces deprehendit, quomodo quis vtilem ab eo exiſtimatam credat? Non ignauiſſimos Vates Romæ fuiſſe, ac in ſuo genere imperitiſſimos, ſed omnino ſummos atque optimos nemo dubitat, qui vrbis illius ſtatum, qualis tunc eſſet, vel ex Gal. vel ex alijs autoribus nouit, ac conſiderat. Hos tamen omnes, nunquam veri aliquid de ægris ex artibus ſuis præſcire potuiſſe aſſeuerat. Vnde facilè apparet, ne aliarũ quidem vrbium Horiolos aliquid hîc præſtare valuiſſe. Se verò, ait, nunquam erraſſe, cum ex arte Medica præſagiret. Nec vno tantum loco id affirmat, ſed totidem penè verbis repetit alibi, ne excidiſſe ipſi aliquis exiſtimare poſſet. Hac de cauſſa in poſtremis verbis hortatur, vt, qui velit Hippocrate arteque dignus videri, hoc eſt, perfectè & abſque errore omnes in morbis mutationes præuidere, ea meditetur, nõ quę de aſtrorum conuerſionibus & aſpectibus commentan-

Digitized by Google

tur Aſtrologi, ſed quæ in libris de Criſibus expoſita ipſi ſunt. Ex quibus nemo tam iners eſt, qui nō videat, nihil accedere perfectionis arti præſagiendi noſtræ, à diuinatricibus modis accedere, quippe quos mentiri ſemper, cum de ægris vaticinantur, obſeruatum ſit. Et me hercle qui ſincero & incorrupto iudicio intendere huc animum volet, is certò deprehendet, nunquam non Aſtrologos in ſuis de morborum mutationibus mentiri, niſi fortè caſu aliquando quod dixerunt, aut ſimile quippiam, eueniat, quod ad ſuas prædictiones ipſi poſtea accommodare tentant. Negare ne ipſi quidem poſſunt, ex Medicis indicijs omnia rectius ac certius (loquor ex ipſorum mente) prædiuinari & præſentiri, quàm ex ſiderum motibus. Hactenus de priore loco.

Alter locus de eodem Eudemo tribus laborante quartanis, quo prędictus quaſi exponitur in 3. capite libri ad Poſthumum ſcriptus eſt hoc modo: *Atque ideo non ex Medica facultate, verum ex diuinatricibus ſcientijs prædictiones meas fuiſſe mentiebatur*, (De Martiano Medico loquitur) *interrogatusq; à quibuſdam, quaſnam diuinatrices ſcientias diceret, interdum Augurium, interdum Extiſpicium, nonnunquam Coniectatricem, aliquando Mathematicam reſpondebat.* An non hîc Galenus explicatè negat ſe ab Aſtrologia adiutum fuiſſe in prædicendo? Quinetiam contumelia ſe effectum à Martiano iudicauit, quòd de ipſo tale quid mentitus fuiſſet. Legat qui volet quæ in ſequenti capite ſequuntur, vbi Galenus ait, ſe vidiſſe quidem, quæ in 2. Prædictionum libro Hipp. ſcripſerit (aut quiſquis libri autor eſt) nō tamen vaticinari. Hîc vt multo plura Galenum reſpondiſſe perſpicias, quàm verba obiter inſpecta ſignificare videntur, & hunc ipſum locum, & 2. librum Prædictionum attētè vt legas moneo. Quæ ſi diligenter tecum conſiderabis, intelliges etiam, ipſum, in genere cum loquitur de Vatibus, Aſtrologos non excludere. Nemo arbitror ignorat, Mathematicos illo tempore vocatos etiam Genethliacos, ſiue Aſtrologos, vt hodie ferè loquimur, appellatos fuiſſe. Quo fit, vt negari nullo modo poſſit, quin per diuinationem

nem Mathematicam, vocatam à nobis Aſtrologiam intellexerit.

Ex iſtis manifeſtiſſimè liquet, ac neceſſaria conſecutione concluditur, Galenum, vbi ſuprà diuinatricium ab ipſo vocatarum ſeu facultatum, ſeu artium, ſeu ſcientiarum meminit generatim, Aſtrologiam quoque comprehendere voluiſſe. Cur verò ſæpius in genere loquatur, quàm ſpeciatim omnes enumeret, in cauſſa fuit, quòd non de vna ſemper vaticinandi facultate aduerſarij ipſius loquerentur, ſed modò de vna, modò de alia, vt ex proximè citato loco pulchrè apparet. Quare cum ſigillatim ſemper enumerare omnes nec poſſet nec deberet, ſummatim eas complectitur, atque improbos Medicos mentitos de ſe fuiſſe calumniatosque aſſerit, quòd ex diuinatricibus artibus futuros morborum euentus præſagiret. Ita quod ſuprà quoque, cū perfici non poſſe præſagendi artem noſtram ab Aſtrologia declararem, facturum me promiſi, perſpicuè oſtendi, Galenum non minus Aſtrologiam, quàm vel Augurium vel Extiſpicium, vel alium quemuis vaticinandi modum intellexiſſe, quoties ait Romanenſes Medicos falſo (detrahendi ſcilicet cauſſa) dixiſſe, ipſum ope, diuinatricium artium futura præſentire. Si quem hæc non permouent, vt falſam illam opinionem, videlicet Galenum in medendo Aſtrologia vſum eſſe, abijciat, huius ego morbum inſanabilem eſſe verè ac certè affirmare poſſem. Neque enim certiora in præſenti diſſertatione argumenta quiſquam ſanæ mentis homo poſtulauerit. Quamobrem nihil iam reſtare videtur amplius, quàm vt totam hanc diſputationem concludam, finemque faciam. Puto enim me quod ab initio recepi liberaliter præſtitiſſe.

Verùm enimuerò, quia te, cum aliud nihil habebis, ad ſacrum tuum aſylum, nimirum ad 3. Decret. nos relegaturum ſuſpicor, non fuerit fortaſſe præter rem aliquid de eo quoque loco hîc dixiſſe. Ergo totam illam diſputationem ad artis opera facienda inutilem eſſe dico. Etenim vſum omnem tranſcendit, & planè Logica diſceptatio eſt, vt Galenus alicubi appellauit. Non enim vt Medicus, ſed vt Phi-

loſophus Decret.dierum cauſſas ibidem inueſtigare tentauit Galenus. Quod tam eſt conſideranti apertum, vt dubitare nemo poſſit. Duos eundem ægrotum Medicos curare cogita, quorum alter quidem dies decretorios optimè norit, cauſſam eorum ignoret tamen: alter non hoc modo ſciat, ſed etiã Lunæ motum cauſſam eorum eſſe arbitretur. An hunc tu melius cogniturum putas, quãdo morbus ſit ſoluendus, altero illo, qui in omnibus alijs æquè ſit tum peritus tum exercitatus? Ego ſanè non credo. In cauſſa quid ſit quæris? Quia vterque ex iiſdem indicijs cogitur de futura ſolutione morbi coniecturam capere, ex ſignis, inquam, quæ ars Medica docet in corpore & excrementis ac ſimilibus obſeruare. Deinde quia ex Aſtrologia aut motu Lunæ de ægris nihil prædici poteſt, vt iam ex Galeno probatum eſt. Sed quoniam res hæc nota eſt doctis omnibus, pauciſſimis hîc me expediam, & rationes aliquot digitis quaſi monſtrabo ſolum, quibus tractatio illa probetur Logica & ad artem exercendam inutilis eſſe.

Prima ratio hæc ſit, quod Hippocrates, & qui ipſum ſecuti ſunt illuſtres Medici omnes, hanc dierum decretoriorum cauſsam, quam Galenus confinxit, neſciuerunt, & ſuos nihilominus ægros rectiſſimè optimeque percurauerunt. Galenus primum ſe hoc tentaſse ſcribit, alios ante ſe omnes ne dicere quidem aggreſsos vnquam fuiſse. Huc & illud facit, quod clariſſimi præſtantiſſimique noſtræ ætatis Medici per Galliam atque Italiam in ſuis curationibus nõ obſeruant. Calendarijs iſtis nugacibus carent, nec venam ſecaturi in ſcorpio aut piſcibus Luna moueatur inſpiciendum vnquam iubent. Qui horum aliquid obſeruãt, quod tamen Aſtrologicum eſſe negari poſſet, operam dant, ne in coniunctione aut oppoſitione Solis & Lunę corpus aut venæ ſectione aut purgatione vacuent. Et ne hoc quidem facerent, niſi à vulgo quaſi cogerentur interdum. Hiſce terminis continetur omnis eorum Aſtrologia.

Deinde nemo eſt Medicus bonus, qui criſim bonam non ſciat in ſtatu aut declinationis initio, hoc eſt, poſt coctionem expectandam demum eſſe. Quæ ante illud tem-

pus

pus accidunt criſes, nec laudabiles ſunt ac fidæ, nec arte à Medico præintelligi ſicut veræ & bonæ poſſunt. In malis autem, quæ mortem exitiumque afferunt, contraria ratio locũ habet. At verò ex Lunæ motu nõ poſſe intelligi certiſſimum eſt, quando & quomodo Natura morbi cauſsam cõcoquat, quando ſtatus futurus ſit. Ad quod probandum non eſt cur hîc aliquid adferam, cum per ſe notum ſit, atq; ipſis etiam prudentioribus minusque pertinacibus Aſtrologis confeſſum. Nihil igitur Lunæ motus ad præſciendã particularem criſim adiuuat.

Tertiò notum illud eſt etiam, Auicennam artem Medicam methodo tractauiſſe, & ex omnibus veteribus quicquid vtile cognouit in ſuum canonem collegiſſe. At hanc quæſtionem tanquam inutilem & falſam reiecit, locumq; in opere ſuo habere non eſt paſſus. Ex quo ſatis perſpicitur, nihil eã nobis conducere. Non enim tam imbecillo iudicio vir ille fuit, vt aut non videre vſum eius poſſet: aut tam imprudens, vt omittendam ſibi putaret: aut tam obliuioſus, vt non recordaretur: aut tam tardus, vt non intelligeret. Aſtrologos certè longo poſt ſe interuallo omnes reliquit.

Quartò putauit Galenus, & rectè quidem, Lunam quẽlibet morbum ita mouere, vt moueri aptus eſt, pro natura corporis ægrotantis, morbi huius cauſſæ, facultatis & ſimilium. Talem verò notitiam qui inutilem ad artis opera nõ intelligit, is morbos curare cum ratione nondum didicit.

Poſſum hoc loco illud etiam addere, Aſtrologiam Galeni falſam eſſe, atque ab eo ignoratam vel ipſis Aſtrologis teſtibus. Certiſſima ratione ſuprà mihi confectum memini, Aſtrologiam perfectiſſimam, qualem hodie ipſam eſſe dictitant, arti præſagiendi nihil commodare poſſe, multò ergo minus Galenica illa falſa conferre ei poſſit.

Huc & illud tanquam auctarium accedit, quod Galenus ſuæ illius diſputationis vſum nullũ indicare potuit, cũ maximè cupere videretur. Qui non mihi fidẽ habet, vltimum illius libri 3. caput legat, ac conſequentiã orationis & argumẽtorũ diligẽter obſeruet, quo me non decipi perſpiciat.

Digitized by Google

Poſtremò Galeni teſtimonijs probari poteſt, ipſummet in ea fuiſſe ſententia, vt totam illam diſputationem inutilem ad vſum artis cenſeret. Primùm quidem in ipſo libri principio id oſtendit: Deinde cap.10.multò apertius. Quo in loco tali vtitur excuſatione, quali nullo in loco alio vſus legitur.(Tantum non Deos teſtatur,ſe, quæ ibi diſputarit, minimè omnium credere.) Longè autem explicatiſſimè & apertiſſimè hoc fatetur in 4 Aph.36.ad quem locum legendum & perpendendum mittendus eſt,quiſquis nondum perſuaſus eſt.

Iam,niſi me fallunt cogitationes meæ omnes, occaſionem ac materiam vberem habes te exercendi,& argumentum quod obiectare vnum ſoles ac potes Galenum in 3. Decret.Aſtrologis fauiſſe,cum hiſce meis conferendi occaſionem nactus es ampliſſimam. Satis oſtenſum eſſe arbitror,quicquid pro te adfers,planè Aſtrologicum eſſe, hoc eſt,euanidum,inutile,falſum,puerile,nugax. Quod verò ipſe produco firmum,ſolidum,cōſtans,verumque eſſe, quod me rectè negare,nec interpretando lenire,aut contemnendo effugere queas.Vnuſquiſque quantum poteſt antiquos imitari ſtudeat.

Si ætatis noſtræ Medicos clariſſimos conſideres, omnes aut imperitos huius vanitatis eſſe, aut non adhibere eam comperies, atque his,vt antiquis omnia feliciſſimè ſuccedere perſpicies. Contrà verò, qui Aſtrologica auidiſtimè conſectantur, ineptiſſimos eſſe ad præſagiendum & curandum inuenies. Hoc ego cum multis annis ſtudioſè obſeruaſſem,& dogmatis incredibilem abſurditatem, & manifeſtam falſitatem percognouiſſem,mirari deſij, cur antiqui illi Medici cum Galeno magna ſe affici iniuria putarent, ſi Aſtrologia in medendo vſi exiſtimarentur. Vale.

Heidelbergæ.

Epiſtola

Epiſtola VIII.

THOMAS ERASTVS D. H. M. Medico, amico & D. ſuo plurimum colendo. S. P. D.

IVdicium tuum de poſtremis literis meis ad D. Stathmionẽ Medicum, uir præſtantiſſime, perlibenter vidi ac legi. Neque grauatè tibi petenti reſpondebo, vt, quemadmodum cupere te oſtendis, hac etiam in parte meam ſententiam perſpicias. Et ne ſim longior, tuarum literarum ſumma hæc eſſe videtur. Primum præclarè me demonſtraſſe putas, neque Hippocratem neque Galenum in prædicendo Aſtrologiam vſurpaſſe. Inde tamen non ſequi, quin vel alter vel vterque ea fuerit ad præuidendas tempeſtates vſus. Et de Hippocrate quidem minus, quàm de Galeno dubitare videris, propterea quòd ex Hippocrate certiora videaris tibi teſtimonia producere poſſe, quàm ex Galeno. Etenim Hippocratem cùm alibi, tum in libro de aëre, aquis & locis non ſemel præcipere, vt ſiderum exortus occaſuſque intueamur, vt ſic qualia tempora anni futura, & per conſequentiam, qui morbi in quolibet loco regnaturi ſint, prænoſcamus. Neque verò poſſunt, ais, hæc de Aſtronomia propriè dicta intelligi. Nam hæc ſcientia non conſiderat, quid in hæc terrena ſidera efficiant. At in citato loco de ſiderum actione Hippocrates loquitur. Ex Galeno ſola verba illa, quæ in principio vltimi cap. libri 3. de dieb. decretorijs leguntur, profers. Et hæc in prima tuarum literarum parte habentur.

In altera parte ratione probare tentas, ex aſtrorum notitia temperiem aëris præuideri poſſe, etiamſi neque Hippocrates neque Galenus hoc intellexerint. Et particulares quidem euentus alios ex ſitu aſtrorum non præſciri poſſe concedis, ad tempeſtates autem præintelligendas horum conſiderationem vtilem cenſes. *Cum enim aſtra*, inquis, *in aërem ante, velut viciniorem agant, quàm in compoſita ex elementis, haud abſimile vero eſt, ea ſuas vires in elementa, præſertim verò in aërem efficacius infundere, quàm in compoſita.*

M

Quamobrem ſiderum mixtiones rectè videntur dici aërem pro ſua natura permutare poſſe, licet ex omnibus 4. elementis compoſita non æquè citò & facilè permutare concedantur. Sol enim citius aërem quàm terram aut homines calefacit, ac facilius purum quàm impurum aërem illuſtrat. Qua de re tempeſtates producere ſidera poterunt, etiamſi animalia non tam ſubitò alterare poßint. Non verò ſoli Aſtrologi hoc ſenſerunt, ſed præter hos multi philoſophi doctiſſimi ſuperioris temporis idem dixerunt. Quid igitur prohibet, ex ſideribus tempeſtates, ex his futuros morbos prædiuinare? Sic ad victus rationem rectè inſtituendam non parum vtilis iudicanda erit. Hæc tua ſunt, longiore à te oratione expoſita. Nihil me puto omiſiſſe, quod huc pertinere poſſit.

Ego ſeriò ne iſta ſcripſeris, an vt me tentares ſiue exerceres potius, & quàm aptè reſponſurus ſim experiaris, non facile dixero. Niſi te delectatum iſtis rebus aliquãdo ſcirẽ, non poſſem iudicare aliter, quàm te iocari nobiſcum vel exercere nos hoc pacto voluiſſe. Non enim quæ tua eſt eruditio, hæc non optimè intelligis, vt mea tibi hac in re opera minimè ſit opus. Huius rei cauſſa vulgaria te adducere noluiſſe ſcribis, quod quomodo aptiſſimè ac veriſſimè talia refelli queant, minimè ignores. Quoquo modo hæc habeant, ad propoſita breuiter reſpõdere, cùm vt mihimet, tum verò etiam vt tibi gratificer, conſtitui.

Hippocratem ex aſtrorum inſpectione, quo Aſtrologi modo ſolent, futuras præuidiſſe tempeſtates, ais. Hoc ſi probaſſes, rem mihi non parum gratam, & tua doctrina dignã feciſſes. Ego in illis meis literis ad Stathmionem mihi videor non inconcinnè nec etiam inualidè, ſi rei qualitas conſideretur, probaſſe, Hippocratẽ ne ſcire quidem Aſtrologiam potuiſſe. Deinde nullus extat locus vel apud ipſum Hippocratem, vel aliquem autorem alium antiquum, qui affirmet, eum ex motu ſiderum aëris temperiem præcognoſcere ſtuduiſſe. Huc Galeni teſtimonium accedit, qui, cum, quomodo futuræ cognoſcantur pluuiæ, docet, ſimulque rationes aliquot ex Hippocrate producit, nullam huius rei mentionem vnquam fecit. At nihil Hippocrates dixit

xit ad artem Medicam vtile, quod non in tam multis in ipſius libros comment. commedarit, confirmarit, laudarit. Quinetiam quod probare nequiuit, aut ab Hippocrate profectum ac legitimum negauit, aut certè interpretando leniuit, & quatenus probari poſſet indicauit. Quàm ſæpe de aëris mutationibus locutus ſit Hippocrates, notum eſt. Quàm multos locos tales, & quàm diligenter Galenus interpretatus fuerit, neſciri non poteſt. At neque illum tale quippiam, quod huc detorqueri commodè queat, dixiſſe, neque hunc dictorum aliquid ſecus, quàm in literis meis declaratum eſt, intellexiſſe, nullo labore probari poterit.

In præſentia vnum illum adſcribam locum, quem in 3. com. in lib. Hippocr. de Humoribus nuper edito, ante biduum opportunè admodum legi, in 20. ſententiæ enarratione. *Pluuiæ autem futuræ*, inquit, *multis modis cognoſcuntur, vt à Luna velut Aratus ceciniſſe videtur his verſibus:*

Cum verò incedit ſublimi Cynthia cornu,
Tum ſegnes Borea campi ſpirante rigebunt:
Sin prono, terris pluuium denunciat Auſtrum.

Hippocrates verò ait, *Arcturo exoriente pluuiam cum ventis frigidis plerunque decidiſſe.* Scribit verò etiam hæc, *Pluuiæ*, inquit, *multæ, continuæ, lenes, vt cum flat Auſter.* Hæc Galenus.

Tres hic modos Galenus recitat, per quos futuras pluuias nouiſſe poſſumus. Primum ex Arato mutuatus eſt, duos reliquos ex Hippocrate ſumſit. Ac primum non pertinere ad Aſtrologos confeſſum omnibus puto, qui vel Aratum legerunt, vel Galenum non obiter ſolum inſpexerunt. Etenim eadem, hæc in duobus alijs imò tribus locis, in Galeno legimus, ex Arati libro, de illis quæ in aëre cōſpiciuntur, citata, nempe in 3. Decret. cap. 5. In princip. comm. 1. in librum Hipp. prorrheticorum, & demum in 1. com. in Prognoſt. in longa enarratione illa. In omnibus iſtis tribus locis docet per hunc modum, Nautas & Ruſticos pluuias præſagire ſolere. Porrò non eſſe hos Aſtrologiæ peritos, fruſtrà probare coner. Præſentiunt igitur ex Lunæ variata luce & imagine, non vt ex cauſſa, ſed vt ex ſigno, quod à va-

poribus in aërem eleuatis philoſophi euenire præclarè intelligunt ac docent. Simili ferè modo ex auium atq; animalium quorundam geſtibus, aëris mutationes, quas nõdum perſentiunt homines, animalia verò illa ſentiunt, prædicimus, non vt ex cauſſis, ſed vt ex ſignis, atq; adeò ex iam factæ mutationis effectibus. Huc pertinent omnes aëris affectiones reliquæ, quas enumerare hoc loco non eſt neceſſe. Neque probare me iſta oportet, cum ipſa libri inſcriptio id nobis indicet, atque rei natura ita ſentire nos prorſus cogat. Non eſſe hæc ad Aſtrologiam referenda alibi diximus. Sed & ex iam dictis patet.

Alter modus, nempe, tertius in loco ſuprà citato, ſumitur à natura ventorum. Auſtro namque ſpirante nemo idiota non expectat pluuiam. At cum Boreas ſpirat, ſerenitatem futuram prædicimus. Et ne hunc quidem ad Aſtrologos pertinere certum eſt.

Tertius ſumitur à natura quatuor anni temporum. Etenim ab ortu Arcturi autumnus incipit, ac deſinit æſtas, quo tempore ſol ad Virginis medium, & vltra pertranſijt. Hinc & frigus & pluuiæ in aëre ſeſe rurſus exerunt. Neque alia de cauſſa nos Hippocrates iuſſit ſiderum quorundam ortus occaſuſque obſeruare, vt ex ipſo tu citaſti. Hoc enim tantum docere voluit, in quolibet loco Medicum obſeruare debere, quomodo Arcturus oriatur, Pleiades occidant atque oriantur: Quomodo ſolſtituum vtrunq; habeat, hoc eſt, quomodo aër in loco quouis in Autunno, Hyeme, Vere, Aeſtate temperatus affectuſue ſit. His enim ſideribus, ſiue horum occaſu & ortu anni tempora antiqui deſcribebant, & circumſcribebant. Porrò vt non aliam ob cauſſam Hippocratem nobis imperaſſe perſpicias, quæ in productis à te locis iubet, diligenter lege quæ Galenus hac de re ſcripſit in 1. Epid. com. 1. expoſit. ſententiæ primæ.

Atque hæc mihi, inquit, *ſemel iam dicta ſint quæ ad omnia, quæ ſub hæc docemus, memoria velim teneri, quo promtius ad omnium nationum menſes, qui alijs alij ſunt tranſire queas. Nam ſi ijdem ſint apud omnes, nullam Hippocrates faceret neque Arcturi, neque Vergiliarum, neque Canis: nullam etiam aut*

aut æquinoctiorum aut ſolſtitiorum mentionem, ſed tantum diceret, In Macedonia, verbi gratia, initio Menſis quem Macedones Dion appellant, eiuſcemodi fuiſſe ſtatum in temperamento aëris. Nunc quia Dion ſolis eſt Macedonibus clarum, contra obſcurum Athenienſibus cæteriſq́ue mortalibus (volebat autẽ omnibus nationibus iuxtà prodeſſe Hippocrates) non potuit melius, quàm neglectis menſibus, ſolum ſcribere æquinoctium. Eſt enim æquinoctium vniuerſale, at menſes ſingulis gentibus ſui. Qui ergo Aſtronomiæ imperitus eſt, hunc celatum nolim, ipſum haud quaquam obſequi Hippocrati, ad illam ob prædictorum vſum cohortanti. Hæc Galenus, & quæ antecedunt ac ſequuntur plura.

Non poterat apertius dicere Galenus, quàm dixit, Hippocratem ſcilicet ideo tempora per ſiderum ortus & occaſus deſcribere, quia menſes non omnibus ijdem ſint, ipſe autem omnibus prodeſſe cupiuerit. Neque aliam ob cauſſam Aſtronomiam diſcere Medicos iuſſit, quàm vt horum ſiderum ortu & occaſu obſeruato, tempora anni interſtinguere, & qualia in loco quolibet ſint, inſpicere valeant. Addit poſtea Galenus, ſi ita ſint menſes, vt apud Romanos, conſtituti, vt dies æquinoctiorum & ſolſtitiorum certus nominari poſſit, non eſt opus obſeruatione iſta Hippocratica. Neque Hippocrates, ait, mentionem feciſſet, ſi omnes Nationes menſes habuiſſent rectè ſimiliterque conſtitutos. Hinc luce meridiana clarius patet, nihil iſta Hippocratis teſtimonia Aſtrologis ad vaticiniorum ſuorum aſſertionem prodeſſe. Quòd ſi Galeni iudicio ſtandum nobis cenſes, obiecta iam planè diſſoluimus. Sin aliter ſentis, deſiderari fortaſſe aliquid adhuc poterit. Quanquam non video, cur quiſquam ſe melius mentem ac ſententiam Hippocratis videre, quàm viderit Galenus, exiſtimet. Vt enim concedam eſſe aliquem hodie, qui neque iudicio, neque ſtudio & diligentia, neque doctrina Galeno cedat, id quod mihi non temerè perſuadebit Aſtrologus, non tamen ille æquè commodè Hippocratis ſententiam perſpexerit atq; Galenus. Etenim ſi alia in re nulla, in hac ſaltem meliore eſt conditione vſus, quòd plurimos & præſtantiſſimos

Digitized by Google

Hippocratis interpretes legere potuit, quorum vix nomina ſola ad nos peruenerunt. Ab his quoties diſſentit in re alicuius momenti, libenter commemorat. Facit quoque horum & ſimilium tam frequenter mentionem, vt credi non poſſit, alios ſecus iſtos Hippocratis locos intellexiſſe, quàm interpretatos ab eo paulò antè audiuimus. Qui ſapit, Galeno hac in re aſſentietur potius, naturæ & ſententiæ Hippocratis conſentanea afferenti, quàm nugacibus Aſtrologis diuerſum affirmantibus. Longiore enim interuallo Galenum ſubſequuntur, quàm vt comparatio inter eos aliqua iniri tentarique debeat ac poſſit.

Quod ſi verò contentus eſſe nolis iſta Galeni expoſitione, ipſos locos diligenter vt introſpicias hortor, & alterũ locum per alterum (Bis enim in eodem libro apertè, ſæpius obſcurè & implicitè, vt vocant, idem dixit) exponas moneo. Sic enim ipſe peruidebis, non aliam ipſius fuiſſe mentem, quàm eam, quæ dicta eſt. Equidem non dicit Hippocrates, ex ſiderum ortu & occaſu & ad cætera aſpectu vario præſciri aëris futuram temperiem poſſe. Hoc ait. Obſeruare Medicum debere, quomodo ſidera iam ſepe nominata oriantur & occidant, vt ſic temperiem omnium temporum notet. Qua cognita, facile ei fore, adhibitis cæteris coniecturis, de futuris morbis in qualibet vrbe recti aliquid præſcire præſentireque. Quocirca cum eo ipſo oſtendat ſe de Aſtrologia vaticinatrice ex ſideribus non loqui, quod neque omnibus annis ſimiliter, neq; vno in omnibus locis modo ſidera iſta oriantur & occidant, ſatis eſſe hoc diligenti poterit lectori.

Deinde eſt, quod ab eo dicitur, ac ſi hoc modo pronunciaſſet ea verba: Studioſe obſeruare in qualibet vrbe Medicus debet (ſi peregrinus ſit) quæ ſit autumni, hyemis, veris, æſtatis, eo in loco temperies. Hoc intellecto, facilius de morbis qui naſcituri videantur præſentiet. Non enim ratio eadem eſt horum temporum in locis omnibus. Sæpe nanque vicinas duas vrbes, propter ſitus diuerſitatem, vt cum altera in montibus, altera in planitie poſita ædificataque eſt, reperias plurimum habere diſcriminis hac in

parte.

parte. In altera frequenter pluet, ac frigus aërem occupabit multo maius longioreque tempore, quàm in altera. Ventorum quoque alios omnibus communes, alios certæ regioni proprios & peculiares eſſe præter experientiam ipſemet Hipp. in principio libri à te citati affirmauit, vt Ariſtotelem & Theophraſtum omittam.

Ex iſtis, niſi fallor, manifeſtè liquet, non aliud Hippocratem, cum ad certorum ſiderum obſeruationem nos adhortatur, voluiſſe, quàm quod Galenus eum voluiſſe cenſuit. Confirmat eandem ſententiam illud etiam, quod nō niſi paucorum ſemper ſiderum meminit, ſcilicet illorum quibus anni tempora antiqui circunſcribere ac denomire ſoliti erant. Quid contra hæc dici excogitarique poſſit non video, ſi modò qui contradicere volet, non indiligenter Hippocratis tempora conſideret, & quàm tunc iſtæ Aſtrologorum ineptiæ non multis per Greciam notæ fuerint non ignoret. Qui indiſſimulanter eſt malus & rixoſus, (qualem eſſe neminem aliquando ſtultè putaui,) is certa & incerta ex æquo deſpiciet, ridebitque. Sed dum ineptè ridet, à non ſtupidis quis ſit facilius agnoſcitur. Tibi me in præſentia ſatisfeciſſe, nihil prorſus ambigo.

Reſtat vt de Galeni loco aliquid attingam ſolum. Non enim alia refutatione indiget, quàm vt cum antegreſſis ac mox ſequentibus conferatur. Hoc qui fecerit, ingenuè fatebitur, nihil eo probari poſſe. Deinde nullus extat in tam multis Galeni comment. locus, qui ipſum ex cœlo de futura aëris temperie iudicaſſe vel indicet ſolum. Quinimò in 3. Decret. vbi maximè conatus eſt Aſtrologus eſſe, nihil tale dixit. Quod de tempeſtatum prænotione in eo libro protulit, ex Arato deſumſit. Et quidem ex eo libro, in quo, quid meteora in aëre apparentia ſignificent, deſcripſit. Suprà etiam docui, quot modos venturæ pluuiæ prænoſcendæ cognitos habuerit. Certè ſi plures norat, tacere illo in loco, & alijs compluribus, vbi de aëris temperie & qualitatibus loquitur, minimè debebat. Hic ſatis eſt declaraſſe, neque Hippocratem neque Galenum ex cœli ſideribus more Aſtrologico de futura aëris temperie vnquam diui-

Digitized by Google

naſſe,atque locos illos,quibus nituntur ad deliria ſua comprobanda Aſtrologi, nec prodeſſe ipſis poſſe, nec à Galeno ita intellectos & expoſitos eſſe,vt perperam ipſi intelligunt. Poſſem hoc loco diſputationem abrumpere, & plura me in illis literis non quærere voluiſſe,dicere.Sed ne ita quæſtiones argumentaque tua ſoluere videar voluiſſe, vt Gordonis nodum Alexander Magnus,cum ſoluere nequiret aliter,nec inſolutum ſinere vellet tamen, ſecuiſſe legitur:illa quoque perpendemus breuiter, quæ in altera tuarum literarum parte mihi propoſita à te ſunt.

Quòd ſiderum coitiones variasque radiorum miſtiones non iudicas veras & propinquas cauſſas euentuum, qui circa hominem accidunt particularium,libenter accipio & agnoſco pro vero. Quod deinde Solis atque Lunæ (arbitror te de alijs quoque ſideribus idem hoc dictum velle,) facultates primum & magis in aëre cerni ac deprehendi affirmas, quàm in conflatis ex omnibus elementis corporibus,id quoque rationi conſonum eſt. Etenim quoties cauſſa aliqua vna in duo agere apta eſt, ſemper in id, quod propinquius eſt,tum citius tum efficacius potentiusúe agit. Aërem eſſe ſideribus viciniorem nobis,apertum eſt. Ariſtoteles ſententiam in Analyſticis hanc poſuit: *Propter quod res qualibet talis, id magis tale eſt*. Hæc ſempiternę veritatis exiſtit,cum rectè intelligitur. Intelligi autem eo pacto debet,ſicut præclari in philoſophia viri rectè docuerunt,ac ipſum,quod adfert,exemplum probat.Nempe cum affectio vna in duobus reperitur, atque in altero propter alterum ineſt,tum ſequitur ſemper,magis illud tale eſſe,propter quod alterum tale factum eſt,quatenus nimirum tale exiſtit propter aliud. Niſi hoc adijciatur,fallet interdum regula.

In noſtro propoſito conceſſum eſt,elementis pariter ac ex his coalitis rebus hoc adeſſe, vt à cœlo mutari, alterari, perpetiúe,poſſint. At hiſce id adeſt propter illa. Quicquid enim non ex elementis natum effectumque eſt, id mutationi ſiderum minimè ſubijcitur. Vnde Aſtrologi quoq; fatentur,animos noſtros verè ab actione ſiderum non pa-
ti

ti aliquid poſſe, niſi quatenus mutatæ corporis temperaturæ ipſi conſentiant. Ex quo patere poteſt, elementa tum celerius tum amplius & facilius ab omnium ſiderũ actionibus permutari, quàm ex his conflata corpora. Eſt tamen in illis quoque diſcrimen. Facilius enim rareſit atque incaleſcit aër quàm aqua, & hac difficilius etiam rareſcit terra. Hactenus ergo, cum nihil dictum à te videam, quod ab ipſa rerum natura alienum diſſentaneumque putem, nihil etiam reprehendo.

Cæterùm quod cum hiſce mox connectis, id mihi neq; verum, neque ex dictis conſequi videtur. Sidera citius, facilius, potentius, in aërem agunt, quàm in compoſita ex elementis corpora, Ergo ex notitia coitionum & poſitus ſiderum, futuræ tempeſtates aëris prædici queunt. Non requires à me hic, puto, verboſe, ut probem argumentum nihil concludere. Solem ego potentius ac facilius aërem calefacere quàm aquas, terras, corpora animalium, facile concedo. At hinc non ſequitur aëris propterea qualitates me prædicturum hinc eſſe. Non enim iam calefacit, mox humectat Sol per ſe aërem: attamen iam ſiccitatis, mox pluuiarum cauſſa exiſtit, alia tamen ratione, interuenientibus ſcilicet alijs multis. Ratio eadem eſt Lunæ & ſiderũ aliorum. Non ſemper eodem modo agunt, ſiue idem efficiunt in aëre, vti neque Sol eundem æqualiter ſemper calefacit. In ipſis certè diebus canicularibus ſæpe admodum frigidum aërem experimur, in ipſa etiam meridie. Quod cum dico, non id intelligo, Solem, quod ad ipſum attinet, non ſimili ſemper modo agere. Cauſſa & corpus naturale eſt, ideoque ſemper eodem modo agit, & quantum omnino poteſt, præſertim cum mutationi nulli ſubijciatur. Quare ſemper aërem pro ſuis viribus calefacit. At non ſimiliter hîc ſemper calefit. In cauſſa eſt, quòd modò purior, modò impurior per adminiſtrationem vaporum de terra eleuatorum exiſtit. Idem de cæteris mihi dictum puta. Si igitur ne de Solis quidem viribus aliud prædici poteſt, quàm calefacturum ipſum aërem ac terram, quãtum pro affectione eorum poſſit, quomodo de alijs certi quip-

Digitized by Google

piam prædixeris,quorum actiones ſunt exiles valdè, & impediri facilius multo poſſunt? Sed redeamus ad argumẽtũ.

Sidera magis mutant aërem quàm cætera, ergo pluuię ex eorum motibus prædici poterunt. Hoc tantum ad antecedens ſequitur. Ergo aërem permutabunt tunc etiam, cum compoſita non ſenſibiliter permutata conſpiciemus. At verò hoc ipſum volui,reſpondebis fortè, inferre. Rectè hoc ſequi dixeris. At ne ſic quidem propoſitum concluſeris,nempe Tempeſtates indicari à cœlo.ſic exiſtimo,(vt nihil diſſimulem) te voluiſſe argumentari. Sidera quædam naturali vi prædita ſunt, pluuias aut ventos aut alia ſimilia efficiendi. Nec fruſtrantur ſua actione,ſed in aëre facile quod poſſunt perficiunt: ergo qui congreſſus eorum tales obſeruare didicerit,futuras aëris mutationes præintelliget.

At hîc percunctari me oportet, quæ ſit iſta in ſideribus vis ſuſcitandi ventos,aut procreandi pluuias, ſcilicet, an hoc per ſe efficiant ſidera, eo quòd aërem permutant, an verò vapores quos in aëre cogunt? Si prius affirmetur, neceſſarium eſt nil aliud eſſe pluuias & ventos,quàm aëris affectiones & qualitates,non autem ſubſtantias. Sic rectè antiqui aliqui,quos Ariſtoteles primùm, deinde etiam Galenus confutauit ac reprehendit, Ventum nihil aliud eſſe,quàm aërem motum dixerunt. Niſi,inquam, hæc ſententia vera ſit, vera eſſe iſta opinio de generatione Ventorum nequit. Et vt de ventis id rectè dici contendat aliquis, de pluuia,niue,grandine,nubibus, defendi ſententia tamen nequaquam poterit. Etenim iam enumerata, ſubſtantiæ ſunt, non ſimplices ac nudæ qualitates. Ergo per coactionem vaporum ex aqua & terra in aërem elatorum pluuias generabunt,ac ventos ſidera. Hoc poſito, fruſtra illud poſitum eſt, ſidera facilius aërem permutare. Non enim aëris, ſed aquæ ac terræ permutatio neceſſaria erit, ſi generari pluuiæ debent.

Sed hîc quoque tuam ſententiam de omnibus elementis accipio & concedo. Non quidem quaſi veram eſſe nihil dubitem, ſed vt quid hinc effici queat animaduertam. Sic

igitur

igitur argumentum inſtituendum eſt,ſi rectè colligere velis: Sidera,quæ vim habent inſitam pluuias creandi, facilius vapores ex terra & aqua extrahunt, quàm compoſita ex elementis corpora ſenſibiliter permutent. Ergo cum ex talibus generentur pluuiæ, niues, grandines,&c. rectius ac certius tempeſtates ex ſideribus prænoſcuntur,quàm corporum permutationes,aliíque particulares effectus. Vt totum argumentum concedatur, inaniter tamen glorientur Aſtrologi. Nam ſi paulò etiam certius prænoſci pluuię & tempeſtates queant,quàm aliarum rerum permutationes, quid inde concludetur? Hæ nullo modo præuideri poſſunt, illę ergò paulò minus non cognoſcuntur. Nihil hinc aliud concluſeris, quàm incertam eſſe totam hanc prædicendi rationem, paucula quædam tamen, eaque perobſcurè poſſe conijci, quæ tamen nullum habeat momentum notitia.

Sed exactius perpēdenda ſunt. Qui ſiderum effectiones ſiue actiones facilius ab elementis recipi hoc modo,vt certus ex ea re conſequatur effectus,concedunt,non illud etiā concedere coguntur, ex ſiderum inſpectione futuras tempeſtates præuideri poſſe. Etenim non ita agunt in hæc terrena ſidera,vt ſtatim euincāt,ſic dico euincant,vt particulares iſti effectus conſequantur. Actum dare ea omnibus, vt pro ſua natura res ſingulæ id agant,ad quod peragendū factæ ſunt,non negamus. At ſimiles hinc in omnibus operationes & effectus prodire,id eſt quod negamus. Sol certè omnia, quod in ſe eſt, ex æquo calefacit, & calefaciendo etiam rarefacit,quæ rarefieri poſſunt. Sed neque æquabiliter omnia calefiunt ac rarefiunt à Sole,nec duobus etiam diebus deinceps res eadem ſimiliter à ſole ſemper afficitur,aut ſimiliter ſemper patitur. At huius facultas longè manifeſtiſſima & efficaciſſima eſt, ſi cum aliorum omniū aſtrorum viribus comparetur. Multò ergo minus alia ſidera eoſdem ſemper producent effectus.

Quare vt verum ſit, eſſe quædam ſidera quæ peculiari vi ex terra excitare vapores valeant, non tamen eodem ſemper modo poterunt. Nam terra aliàs magis, aliàs mi-

Digitized by Google

nus apta erit ad excipiendas aſtrorum vires. Reddet vno tempore vapores inuitata à cœlo plures, quàm alio. Quod dum ignoratur, neceſſe eſt illud etiam ignorari, an ſidera terram præparatam ad reddendos vapores repertura ſint. Et quòd non ſemper ſimiliter ſit idonea, vel ipſis demonſtrem aſtrologis teſtibus. Princeps eorum Ptolemæus hinc plurimum variari præſenſiones ipſemet confitetur, & explicando docet. Cæteros libenter non nomino, quòd ineptiores multò ſint. Fruſtra igitur ſciet Aſtrologus, ſiderum quandam coitionem futuram, quæ aërem vaporibus refercire poſſit, niſi hoc ſimul non ignoret, aptam eſſe futuram eo tempore terram, vt radijs illorum percuſſo vaporum copiam effundat.

Si ſemper paratam eſſe dicas, & ſola attractione opus eſſe in ſublime, nugari videberis. Etenim hoc modo omnia ſidera talia ſemper pluuiã producent. At non ſemper, imò rarò pluit, cum prædicunt aſtrologi pluuias, id quod negare nec poſſunt nec etiam ſolent, cum ſerio argumentis premuntur hoc in parte. Certum eſt, Solem, Lunam, aliaq; omnia aſtra, facultatem habere attrahẽdi vapores ſurſum de terra. Si ergo ſatis magna ſemper eorum præparata eſt copia, ſemper tot attrahentur, quot ſuſcitando vento ac pluuijs ſuffecerint. Quòd ſi non tã multos ſuppetere cogitemus, educi eos ex terra oportebit & aqua. Sed hoc nõ fit, niſi calore rareſiant. At frigus reſiſtit calori. Facilè ergo imbecillus & non ſenſilis aſtrorum calor eludetur irrituſque fiet, in frigidiorem incidens terram. Etenim ne Sol quidem caleſacere eam ſemper poteſt. Hyeme, exempli gratia, tametſi Sol ſit infirmus apud nos, potentior tamen eſt alijs ſideribus quæcunque tandem proponere libeat. At non poſſe tunc ab eo terræ frigus ita ſuperari, vt in vaporem aut fumum ſoluta, in aërem aſcendat, notius eſt quàm vt probationis egeat. Quanto ergo minus reliqua id ſidera tum perficient? Taceo iam quod primo loco dictum oportuit, impoſſibile eſſe vt tam breui tempore, quã Aſtrologici aſpectus perdurant, mutatio aliqua notabilis vel in aqua vel in terra effici poſſit. Vix momento oculi

Digitized by Google

tales permanent. At Sol ſæpe magna vi aquas calefacit, neque multis tamen horis in vapores conuertit. Quo pacto igitur de alijs hoc credere poterimus, quorum actio à nobis distinctè nunquam deprehenſa eſt?

Breuiter ſic habet res: Aſtrorum figurationes Aſtrologicæ vix ſunt momentaneæ. Et ſi longiſſimo etiam tempore perdurent, nullo prorſus modo Solis atque Lunæ vires æquare poſſunt. Quinimò nulla eſt eorum virtutis ad potentiam Solis comparatio. Cum igitur pluuias & ventos non niſi per vaporum ſuſcitationem gignere queant, hi verò non niſi à calore rarefaciente ſuſcitentur, manifeſtum eſt, vix vnquam quod debebant effecturas. Etenim vt omnem repugnantiam ſua potentia Sol hactenus ſuperet, vt quatuor anni tempora producat, non tamen eiuſdem hæc ſemper ſunt temperamenti. Simili modo, vt aliquid agere iſta concedantur ſidera, non tamen eodem modo perficient perpetuò. Atque tanto conſequetur minus effectus certus, quanto Sole imbecilliores obtinent vires. Quare aut rariſſimè aut nunquam deſideratum ſibi finem conſequentur. Luna menſtrua facit temporum diſcrimina. At non ſimiliter hæc etiam eadem facit, cum cætera omnia aſtra ſimiliter habent. Quid in cauſſa eſt? Non aliud quã quòd actio non pro natura agentis cauſſæ, ſed pro affectione varia & diſſimili patientum variè diſſimiliterque recipitur. Deinde quia ſidera iſta efficiunt vt vniuerſales cauſſæ. Poſtremò quia per accidens ab ipſis talia efficiuntur. Interueniunt enim valdè multæ aliæ cauſſæ, quæ vel promouent atque adiuuant, vel impediunt ſiderum actionem generalem. Difficilius calefit à Sole terra perfrigerata & humectata, quàm ſi aliter affecta ſit. Minus illuſtratur aër craſſis nebulis refertus, quàm purus. Interdum à denſioribus nubibus tantum non prorſus nobis lumen Solis eripitur. Idem aër craſſior calefit tardius à Sole, at calefactus refrigeratur quoque difficilius. Exhalant ſæpe plurimi ex loco aliquo terræ vapores ſiue ſpiritus, qui multis antè temporibus inde nunquam exire viſi ſunt. Qui ſub terra metallis effodiendis operam dant, mirabilia narrant de

Digitized by Google

ſubterraneis mutationib.quas incluſus in terra calor efficit tunc,cũ in aëre noſtro omnia æquabiliter fiunt.Sic etiã ſæpe in corporibus noſtris non omnia omni tempore eodẽ modo habent,tametſi exterius nihil admodum ſit mutatum. Non factum eſt nunquam,vt vapores in nubem coacti pluuiam nobis minitarentur,ac vento repentè exorto ex loco aliquo,diſijcerentur ſine guttulæ caſu. Iſta exempli gratia tantum recenſui, vt quàm nihil hîc certi ſit cernas.

Iam verò ſic cogita: Nihil certi eſt,vbi admittuntur pro veris quæ incertiſſima & prorſus controuerſa ſunt. Quid igitur efficere nos poſſe ſperandum fuerit, ſi probare principia cogamur? De veritate huius ſententiæ quæritur, ſcilicet,an certa ſidera vel ex inſita vi,vel propter poſitum & aſpectum ad alia,peculiarem vim nanciſcantur pluuias potius quàm aliud quippiam producendi. Hoc tu pro vero & certo ponebas,quod aliud nihil eſt,quàm principium petere,hoc eſt,quod probandum fuerat,tanquam probatum ponere.Ego conceſſi ea de cauſſa,vt nihil tamen inde iuuari Aſtrologorum cauſſam perſpiceres. Iam ſi,vt probent ita rem habere,iubeantur,quo id ſint facturi modo ipſi viderint. Certè ratio nulla ab ipſis hactenus excogitata productaúe eſt, quæ vel leuiter inſtitutum defendat.

Quas Ptolemæus in principio ſuorum de Aſtrologia librorum adfert,admodum ſunt ridiculæ Et vehementer miror quomodo inuenire potuerit,qui ei fidem in illa parte habere potuerint. Nõ iam vt veras eſſe ei concedamus, nihil tamen de noſtra cauſſa nobis decedere poterit. Etenim calefaciendo,frigefaciendo,humectando, exiccando, omnia ab ipſis effici ſideribus affirmat. Sic Solem hæc permutare notum eſt. Ipſe quoque pleroſque planetarũ à Solis vicinia calorem,ab eiuſdem diſtantia frigus,à terræ humore humectandi vires mutuatos aſſerit. Idem tu quoque hactenus ſenſiſſe videris in his tuis literis. Quòd ſi ita res habet,plura prædici ex congreſſibus aſtrorum nõ poterunt,quàm calefactura terram atque aërem magis minusque,prout plura paucioraúe talia coierint. Eadem de humiditate & cæteris qualitatibus ratio eſt. Quanquam

de humiditate quæſtio eſſe minimè leuis poteſt. Nō enim videtur aliquid humectari, ſine humidi corporis acceſſione. Frigus & caliditas ſe ipſas propagant, generando ſcilicet ſimilem ſibi qualitatem in uicinis ſibi corporibus. Hoc in caliditate ignis apertiſſimum eſt. Etenim quæ in igne caliditas eſt, dum calefit aqua ab eo, per generationem caliditatis in aqua, calefacit aquam, non verò per trāſitionem ſeu transmigrationem eiuſdem illius caliditatis ex igne in aquam. Hoc modo vt exiccari corpora poſſe concedamus, quod tamen tardè admodum fiet, de humiditate quomodo dici queat, non video. Niſi enim aqua aut humidum aliud corpus arido permiſceatur, humectari nunquam videbimus. Sed præſtat breuitatis cauſſa te remittere ad lib. 4. Meteororum Ariſt. vbi hæc diligenter expoſita ſunt. Ergo ſi aſtra quædam humectant aërem, aut ita humectant, vt ignis ceram euocando & ſoluendo concretam humiditatem, aut ſubſtantiam in aërem demittunt humidam, aut denique ex terra & aqua excitant vapores, & in ſublime ad ſe attrahentes aërem humectum reddunt. Priores duo modi inepti ſunt. Poſtremus ipſe quoque valde lubricus eſt & dubius. Etenim non tam humectare ex Ptolemæi ſententia aërem tales Planetæ videntur, quàm humectari. Siue igitur ab illis met ſtellis humidi vapores de terra eleuentur, per quos ipſæ humiditatem cōcipiunt, ſiue ab alijs, caloris opus eſſe ſemper videbitur. Sed hæc libenter ſino, de quibus multa non malè dici præterea poſſent, & ad propoſitum redeo. Nihil, inquam, aliud prædici poſſet, quàm terram vel calefaciendam (ſiue aërem) frigefaciendam, humectandamque eſſe. Verùm hìc quoque addere oportebit, modò apta ſit, vt vapores tam multos tam facile, tam leuiter inuitata, tam breui tempuſculo irritata, de ſeſe ſpargat. Qua ratione rurſus ſpe ſua fruſtrari ſe vident, qui hinc aliquid certi ſibi pollicebantur.

Verùm enim vt luculentè videas quàm ſint falſæ & futiles Aſtrologorum de tempeſtatibus prædictiones, ſic experiaris rem velim. Nota in libello aliquo, vel ephemeride ad marginem, vel vt aliter libet ac potes, qui ſingulis

totius anni diebus venti ſpirarint, & quæ ceciderint pluuiæ,niues,grandines,& huius generis omnes aëris temperies bonas pariter ac malas. Anno confecto cura vt habeas prognoſtica omnium aut plurium, qui ſcripſerunt in tuo horizonte aut vicino. Vbi animum negocijs defeſſum relaxare & recreare voles,primum conſidera quos illi Anni Dominos ſtatuerint ſiue gubernatores, in qua re nunquã aut perrarò duos concordes reperies. Taceo cætera, quæ non facere quilibet poteſt. Deinde vide quam tempeſtatem illi diebus ſingulis quorum mentionem fecerunt, eſſe debuiſſe ſcripſerint,& cum tuis annotatis confer. Si feceris,rariſſimè eos ſcopum attigiſſe deprehendes. Sanè vel hinc eos nõ ex arte,ſed caſu aliquando verum dixiſſe re ipſa comperies. Diſcrimen porrò tantum reperies, quantũ nemo fuiſſet credere auſus. In pleriſque omnibus, neque ipſos inter ſe,nec cum veritate conuenire perſpicies. Niſi tum fortè conſonantia dicant,cum frigus circa brumam & niues,calorem verò & ſiccitatem ſub Canis tempus denunciant. Quidam prudentiores non dies nominant, ſed iuxta quartas Lunæ vocatas vaticinantur de hiſce,& ita quidem temperant, vt difficilius errorem hîc redarguas. Dum enim generalia quædam dicunt,& pro ratione anni temporum aut ventos aut aliud ſimile futurum aſſerunt, vix accuſari mendacij poſſunt. Rarò enim non aut ventus aliquis toto illo octiduo præſertim Vere & Autumno ſpirat,aut pluit ſemel iterumque. Habebis tamen & hîc nõnunquam illuſtres occaſiones perſpiciendi falſitatem prædictionum. Poſſem,ſiquidem res poſtularet, quid expertus ego ſim narrare. Et facerem etiam, niſi aliquos ita interpretaturos vererer, quaſi perſtringere ipſos in animo habuiſſem. Proinde finem faciam, vbi vnum præterea ſuprà dictis addidero. Id huiuſmodi eſt.

Etſi Aſtrologiam vtilem eſſe ad prænoſcendas tempeſtates concedam,non tamen aut vtilem aut neceſſariam propterea Medico fateri me oportebit. Nam cui rei in Medicina hæc notitia ſit vſui,non facilè dixeris, niſi vel ad præuidendos futuros morbos,vel ad inſtituendam victus rationem

tionem prodeſſe, contendas. At neutri admodum prodeſſe, facilè conſideranti apparebit. Quod ad victus rationē attinet, ſanè nihil prodeſt, quod vel hinc intelligas, quod neque Galenus neque Hippocrates cum de inſtituendo victu agunt, nos temporum iſtam præſcientiam docēt. Loquor hîc de ægris. (Nam in ſanis nemo victum iubeat mutare propter ſuſpicionem temporis futuri, quod quale futurum ſit certò nequeat ſciri. Non enim negant, puto, Aſtrologi, probabilem tantum eſſe hanc præſenſionem, minimè verò neceſſariam.) Nam tempus futurum ſtatus cōſiderandū & prænoſcendū docent, non vtrū pluuiæ, an nebulæ, an grādo caſura ſit ſpectare nos iubēt. Quod ſi aut vtile hoc aut neceſſariū iudicaſſent, præterituri nō fuerant.

Præterea non mutauerit vnquam rationem victus præſentibus conuenientem prudens Medicus, quia vel ſperet vel metuat aëris aliquam mutationem. Primum quidem, quia neque obeſſe neque prodeſſe nouit, quod non eſt, ſed futurum expectatur. Victus autem iuuare, & quatenus ratio fert, opponi lædentibus cauſſis, etiam aëris intemperiei noxiæ ſolet. Quare ei quæ adeſt, ſi noceat, opponetur, quādiu adeſt: vbi adeſſe deſierit, ipſe quoque oppugnare eam Medicus deſinit. Quis non iudicaturus ſit fatuum Ducem qui ab hoſte oppugnatus non ſe ſtrenuè velit defendere, aut etiam hoſtem profligare, cum poſſit propter incertam ſpem auxilij aduenturi? Quo quiſque dux melior eſt, tanto ſuperat hoſtem libentius præſentibus copijs, quàm vt incertus expectet auxiliarios, atque interea cum ſuis periclitetur. At ſimilis imperito huic Duci Medicus eſt, qui cum præſentis aëris ſtatui opponere ſe poſſit victus ratione id facere nolit, quia mutandam poſt dies aliquot ſuſpicetur aëris temperiem præſentem. Deinde hac etiam de cauſſa non mouebitur futura ſpe Medicus, quia nouit certum non eſſe quod aſtra promittunt. Nolet igitur propter incertam ſpem præſente & certa occaſione nō vti. Vbi aduenerit expectata tempeſtas, non antè, victus rationem, re ita poſtulante mutabit.

Eſto febriat aliquis tempore calido & ſicco. Promittat

Digitized by Google

Aſtrologus frigidum pluuiumque cœlum in diem craſtinum, aut inde ad biduum. An hîc minus frigidum ac humidum cibum offeret ægro Medicus, quàm ratio morbi flagitat, quia frigus expectat? Inſaniat, ſi id fecerit. Primùm non pugnat aut defendit ægrum contra morbum quantũ debet. Deinde cum incertum ſit tempus ita mutandum ægroto interim plurimum obfuerit. Ex quibus apertè vides, nihil habere hanc rem, cuius cauſſâ laborare Medicus prudens & doctus velit vel vnicum diem, vt addiſcat.

Sed neque ad præſciendos morbos vtilis eſt. Nam aëris temperies non ipſa per ſe parit morbos, niſi malis ſuccis repleat corpora, aut repleta excipiat. Prius non niſi longo tempore fit, ac facile tum cum incidit mutatio, occurri ei tum cibo ac potu, tum alijs poteſt. Cum enim longo tempore intemperiem perſeuerare videt, ſatis tempeſtiuè remedia adhibere poterit. Equidem non aliter antiqui omnes morbos prædixiſſe leguntur, quàm ex præſente vel præterita aëris temperie, non ex futura, quæ & dubia eſt, nec quàm diu duratura ſit ſciri poteſt. Decet autem artifices bonos, non niſi comperta præſagire, ne in contemtum artem trahant falſis prædictionibus. In poſteriore caſu vtilis certè eſſe poſſet tempeſtatum certa prænotio, vt facilius corpora ad perferendam ipſam præpararentur. Sed hîc quoque breuis mutatio non magnum adfert periculum. Vt autem hîc vtilis eſſe poſſet, ita in pleriſque nihil commodi adferret, imò potius incommodaret. Fruſtra verò de hac re dicam plura, quum falſam, vanam & impoſſibilem eſſe conſtet, ab Aſtrologis traditam ex aſtris prædicẽdi rationẽ. Quod qui non credit, perfacile ex experientia certiſſima diſcet verum eſſe, ſiquidem ita, ſicut monui, rem tentare & experiri non grauetur.

Vale. Heidelbergæ, Anno 1560.

AD

AD EVNDEM.

Epiſtola IX.

PLurimum gaudeo,& non immeritò,me tibi viro præſtanti doctrina aliqua ex parte,(maluiſſem omni ex parte) ſatisfeciſſe.Noſti quàm varijs diſparibusq; negocijs diſtrahatur animus, quæ res in primis fecit,vt quæ cogitarem minus commodè explicarem . Hanc ob rem prorſus tibi credo,ideo quædam à te in ſuperioribus literis negligentius ſcripſiſſe,quia neque meditandi neque ſcribendi ocij ſatis habueris . Eſt quod gaudeam,quòd me tua rectè intellexiſſe affirmas . Quæ nunc deſideras,tunc ſcribenti mihi in mẽtem ſanè non venerunt . Sed bene habet, cum adijcere nunc potero,quæ antè omiſſa putas . Tantum certè abeſt, vt graue mihi hoc futurum ſit, vt vehementer tibi pro eo gratificari cupiã. Quatuor ſunt quæ declarari tibi planius petis . Primùm,vt Hippocratis mentem non aliam fuiſſe doceam . Deinde an cœlos ſiue ſidera cauſſas tempeſtatũ arbitrer. Tertiò quomodo eas à ſideribus effici putem.Poſtremò quid ad argumenta autoris illius reſponderi poſſe exiſtimẽ, qui librum conſcripſit,cui titulus eſt,Prognoſtica de ægrorum decubitu ex mathematica ſciẽtia Ad hęc, (ſiue tria ex his ſiue quatuor capita facias,nihil refert) tentabo ita tibi reſpondere, vt nihil te præterea deſideraturum confidam.

Quod ad primum caput attinet, minimè erit difficile oſtendere,Hippocratem nihil minus aut cogitaſſe aut docuiſſe, in lib.de Locis aëre & aquis, quàm ex aſtris tempeſtates aëris eſſe præcogonſcẽdas.præſertim eo modo, quo Aſtrologi prægnoſci volunt . Oſtendam ex ipſis Hippocratis verbis tam planè quàm potero . Ergo in primo capite ſic ſtatim proponit: *Quicunque Medicam artem integrè aſſequi velit,hæc illi omnino ſunt agenda*. Mox quæ agenda ſint percenſet, quæ in 5.capita diſpartiri poſſunt . Primum eſt,vt norit quam vim & quantam habeat aëris quælibet ſiue temperies ſiue intemperies in corpora noſtra, & quomodo anni tempora ſint diſtinguenda . Alterum vt quæ

ſit ventorum omnium natura & facultas tum communiũ tum propriorum,non ignoret. Tertium eſt,vt non neſciat aquarum in quolibet loco qualitates,ſubſtantiam,& vires. Quartum vt loci ſitum ad ventos,ad Solis ortum & occaſum exploratum habeat,ac terræ ſiue Soli naturam perſpexerit. Poſtremum eſt,vt hominum in eo loco victus rationem perceperit ac obſeruauerit vniuerſam. Qui hæc quinque probè norit,inquit,quãtum ſcilicet fieri poteſt,is duo præcipuè commoda maxima inde percipiet. Primũ enim non neſciet quibus morbis locus aut vrbs quælibet tum priuatis ſiue proprijs ſubiecta ſit, tum etiam quinam ex communibus eam inuadere plerunque ſoleant, ac præterea communium morborum naturam peruidebit. Et hic primus fructus eſt qui ad dignoſcendum maximè pertinet. Alter fructus qui ex prædictorum notitia oritur, hic eſt,quòd vniuſcuiuſque temporis anni atque adeò anni futuri conſtitutionem prædicere poterit.

Hic iam ſomniant Aſtrologi,ipſum de prædictione temperiei temporũ ſiue aëris loqui. At non hoc dicit ac ſentit Hippocrates. Hæc eſt ipſius mens atque ſententia,illum qui commemorata cognita habeat, prædicere poſſe, qui morbi quolibet tempore, ſcilicet qui æſtate, qui hyeme, qui vere & qui autumno, inuaſuri ſint eam vrbem,non verò,an præter naturam ſuam vel humidiora vel aridiora tẽpora anni ſint futura. Et vt veriſſimum eſſe videas, quod dico,verba quibus ſemetipſum explicat cõſidera.Sic enim habent: Vniuſcuiuſque præterea temporis ac anni futuri conſtitutionem prædicere poterit,qui videlicet morbi cõmuni affectione ciuitatem ſint inuaſuri tum æſtate tum hyeme,&c.Non poterat planius ſe ipſum exponere quid per conſtitutionem anni atque temporum vellet intelligi, ſcilicet non pluuioſam aut ſqualidam, calidam aut frigidam,ſed vel ſalubrem vel morboſam. Et ſi non ipſe tam diſertè ſe interpretatus fuiſſet,tamen aliter exponi iſta nõ poterant. Nihil enim aliud ex prædictis conſequitur. Aſtrologi certè pro ſe facere nunquam fuiſſent oſtenſuri.

Etenim

Etenim ne verbum quidem vnũ de aſtris ac coelo in quinque illis capitibus reperias dictum.

Hæc niſi planè fallor,ſatis eſſe poterant ad oſtendendũ, quod propoſitum eſt. Non enim dicit,qui obſeruet quando Mars cum Ioue,Sole,Luna aut Venere hoc vel illo modo congrediatur,is pluuia ne ſit futura præintelliget. Hoc ait,qui ſuprà enumerata capita perdidicerit,is, qui morbi quolibet anni tempore regnaturi præcipuè ſint, & à quo ſibi quiſque metuere meritò debeat, præſagire poterit. Quomodo autem ex iſtis capitibus connumeratis morbi tum communes tum priuati præuideri queant,in progreſſu libri exponitur,vt mox indicabimus.

Planius adhuc ſeipſum exponit in verbis quę mox ſequuntur, quorum ſenſus hic eſt. Nam qui anni tempora obſeruauerit,& ortus occaſuſque ſiderum,(quibus quædam circunſcribuntur ex anni temporibus & denominantur) aduerterit quomodo fiant, an ſcilicet cum pluuia vel ſiccitate,cum frigore vel calore, cum vẽtis aut ſine his oriantur & occidant, is quid futurum ſit poſtea præſciet, hoc eſt,qui nam morbi exorituri ſint præintelliget.Per anni tempora,tempus ſolſtitiorum & æquinoctiorum intelligit,at per ſidera ortum Arcturi & Canis & Pleiadum ſimulque harum occaſum. Nam horum ſiderum ortu & occaſu deſcribebant antiqui initia æſtatis,hyemis, autũni, atque calidiſſimam æſtatis partem. Et hanc eſſe mentem Hippocratis ex 6.capitis fine perſpici poteſt. Hic tantum proponit,quæ in proceſſu operis exponit. Suprà dixerat, Medico neceſſarium eſſe,vt quam vim aëris mutatio quælibet obtineret corpora noſtra permutandi: differre verò tempora inter ſe atque à ſe ipſis etiam plurimum, propter factas in ipſis mutationes. Quare hîc ait,eum qui diligenter ipſa inter ſe diſtinguat, & qualia ſingula ſint obſeruet, eum de morbis naſcituris facilè iudicaturum eſſe.

Profectò non aliud hîc dicere voluit, quàm quod antè dixerat: Quin nec debuit. Non enim aliud probare debet ratio,quàm quod propoſitum eſt.Propoſitum autem erat docere illum Medicum rectè præcogniturum morbos,qui

Digitized by Google

cùm alia recenſita, tum tempora anni & horum mutationes quales fierent conſideraſſet, non quales futuræ eſſent. Non ait, Medicum obſeruare debere quomodo ſidera oritura ſint, & ex eo aëris temperiem prædiuinare: ſed iubet eum obſeruare qua temperie ſit autumnus, hyems, ver, æſtas, & ex horum temperie iam obſeruata, viſa, cognita, conijcere de futuris morbis. Perinde eſt ac ſi ita dixiſſet: Medicus qui cùm alia, tum verò anni tempora quomodo ea habeant, ſcilicet an autũnus, hyems, æſtas frigida, pluuioſa fuerit, ad aliter affecta apparuerit, is qui morbi quouis in loco regnaturi ſint peruidebit.

Atque hunc eſſe genuinũ Hippocratis ſenſum, ſequentia verba planiſſimè demonſtrant. Quomodo autem ſingula, inquit, quæ diximus, ſcrutari ac explorare oporteat, deinceps dicam. Si totum opus hoc perlegeris, videbis omnia quæ promiſit diligentiſſimè explanata ab ipſo eſſe. At nullo in loco vel vnico verbulo docet ex aſtris iudicare de temperie aëris futura. Quinimò nullo in loco dicit præcognoſcendam eſſe, ſed hoc tantum docet, quomodo ex prægreſſa & viſa, aut etiam præſente adhuc aëris temperie ſint præuidendi morbi futuri ſequentibus temporibus. Hîc tantum, ſicut paulò antè quoque monui, proponit capita, quæ in ſequentibus ediſſerit. Quamobrem non aliter verba ipſius hoc loco poſita intelligi exponique poterunt, quàm ipſemet tum hîc, tum in ſequentibus declarauit. At verò ſic declarauit, vt ego expoſui & probaui. Aſtrologicũ nihil interſeruit.

Quod vt perſpiciatur planius, particulatim capitum argumenta inſpiciemus. Secundo capite declarat, quomodo ex cuiuslibet loci ſitu ad ventos, de morbis conijciendum ſit, quod vnum erat ex ſuprà propoſitis. Capite tertio, quarto & quinto de aquarum natura & effectibus diuerſis pro earum diuerſitate diſputat. Sexto demum de morbis, qui ex mutatione temporum anni proueniunt, differit, vbi ſic rem orditur: *Cæterùm de annis hoc modo conſideratione facta quis cognoſcere poßit, qualis nam annus futurus ſit, ſalubris an morboſus*. Suprà cum dixiſſet, illum, qui anni temporum vires

vires pernouiſſet, ac mutationes eorundem obſeruaſſet, de toto anno & ſingulis temporibus, qualis eorū conſtitutio futura eſſet, rectè iudicaturum: hoc eſt, quinam morbi naſcituri eſſent, intellecturum, ac deinde quā ratione hoc foret cognoſcendum, ſe indicaturum promiſiſſet, id iam præſtare incipit. Et quod ſuprà propoſuerat, planiſſimè exponit, videlicet, ſe per conſtitutionem, non aëris temperiem, ſed morboſitatem, vt ſic dicam, & ſalubritatem intellexiſſe. Quare cum nihil hîc aliud doceat, quàm quod in 3. Aph. libro quoque docuit, ſatis, imò plus quàm ſatis, patet, ipſum aliud nihil hîc velle, quàm quod ſuprà expoſui, nempe ſi hyemem hoc modo temperatam ſubſequatur ver ita temperatum, æſtate ſequente naſcituros morbos tales. Statim enim poſt ſuprà citata verba, anni ſalubris naturalemque conſtitutionem qualis ea eſſe debeat deſcribit. Deinde inſalubrium aliquot temporum combinationes, quaſi exempla, vt alicubi Galenus monuit, nobis proponit, vt ex illis cætera nos addiſceremus. *Si verò hyems quidem ſicca ſit & borealis*, inquit Hippocrates, *ver autem pluuioſum & auſtrale, neceſſe eſt, æſtatem febriculoſam fieri & lippitudines inducere, &c. Si verò hyems auſtralis fiat & pluuioſa & clemens, ver autem boreale & ſiccum & tempeſtuoſum, primū quidē mulieres, &c.* Quiſquis nō videt hoc agere Hippocratē, vt ex intēperie duorū ſiue pluriū anni temporū, ſiue vnius etiam doceat prænoſcere morbos, qui ſequenti tempore naſcituri ſint, is parum videt. Qui verò videt, ac nihilominus Aſtrologiæ hiſce patrocinari Hippocratem voluiſſe contendit, is rixoſus eſt ac obſtinatus. Non enim vnica extat litera, quę vel ſuſpicionem aliquam faciat, quaſi ex aſtris docere voluerit aëris mutationes præſagire, aut hinc præſciri poſſe crediderit. Illud ſolum & maximè docet ac vrget, quomodo ex præcedente vel præſente anni temporum temperie ſiue natura, morbi futuri temporis ſint prædiſcendi. Cui hæc non ſatisfacient, ei aut nihil ſatisfaciet, aut ſententiam diſſimulat. Tibi me confido præclarè hac in re ſatisfeciſſe.

Iam ad ſequentes duas quæſtiones, an putem cœlos

cauſſas eſſe tempeſtatum, & quomodo ab ipſis ſciſcitari res arbitrer, deſcendam. Ad priorem reſponſio facilis eſt, ad alteram non æquè. Conabor nihilominus ad vtranque perſpicuè ſimul & quàm fieri poterit breuiſſimè reſpondere. Sentio cùm Ariſtotele, cunctisque rectè philoſophantibus cœleſtia totius generationis & corruptionis (Illius per ſe, huius verò per accidens) in hoc inferiore mundo cauſſas eſſe iudicarique debere. Per generationem intelligo etiam conſeruationem ac gubernationem. Hoc poſito, ambigi nequit, quin & aëris conſtitutionum ſiue mutationum cauſſas exiſtimē ac ponam. Etenim ab his & per has vniuerſa hæc noſtratia, vt ſic vocem, potiſſimum generantur, corrumpunturque. Nihil hîc excipio illorum omnium, quæ ex elementis conſtant, quatenus ſcilicet ex his conſtãt. Omnia nanque talia à Sideribus alterari, diſponi, regi, perſuaſiſſimum habeo. Animos autem noſtros, quorum origo non elementaris, ſed cœleſtis, imò diuinus eſt, cœlorum viribus minimè ſubijcio ſubiectosúe credo. Sed nec Aſtrologos noſtros, quidquid Arabes quidam ſenſiſſe putentur, hoc à me poſtulaturos confido.

Porrò cauſſas eſſe aio, non particulares, ſed dictorum omnium communes & generales. Non enim vllum per ſe, ſine ope aliarum propinquiorum cauſſarum, effectum, producunt ſidera hîc in terris, ſed cum ſecundis cauſſis omnibus omnia efficiunt. Si paucioribus me, quod ſentio, dicere iubeas, actum & poteſtatem omnibus rebus cœlitus dari dixerim, per quam ſingulæ pro ſua inſita propriaque natura mox agere poſſint. Eſt hoc in Sole maniſeſtiſſimum, in cæteris aſtris obſcurius. Et Luna quidem minus, in reliquis intelligitur potius quã ſēſu percipiatur. In cauſſa fortaſſe eſt, quòd Luna nobis vicina admodũ eſt, vel quòd non tam ſuis proprijs viribus, quàm facultate à Sole accepta huc agit. Etenim lumine ipſius, (quod ex ſe non habet, ſed à Sole mutuatur) augeſcente, omnia ferè naturali ſucco abundant: decreſcente verò eodem, tantum ſucci natiui omnibus decedit, quantum ipſa luminis amittit. Equidem quando cum Sole deſcendit ſub horizontē,

nec

nec reflexum Solis lumen terris largitur,imbecilliora omnia propemodum videntur. Pleraque certè minus natiui ſucci obtinent, quantumuis excrementis perſæpe redundent. Hæc ſententia Galeno minimè diſplicuit,ne in illo quidem 3.Decre.libro,in quo permulta Aſtrologica probare viſus eſt. Ipſi quoque Aſtrologi negare non aut volunt aut poſſunt rem ita habere,vt dictum eſt.

Toto iſto tempore quo cum Sole occidit Luna,deſtituitur terra viuifico Solis lumine caloreque totis noctibus, donec ab eo digreſſa lumen à Sole acceptum terris communicet iterum. Quæcunque hoc tempore animalia naſcuntur, aut non viuunt,aut imbecillia permanent. Huius rei cauſſa,quia ex iam dictis intelligi poteſt, pluribus hîc non explicabitur. Hoc ſufficiat monuiſſe in præſenti loco, quantum Solis calor interdiu exiccet,tantum reſtituere natiui humoris noctu per Lunam. Etenim plurima tantum calorem,quantum Sol terris impertit,ferre nequeunt, tepidiore plurimum iuuantur. Quo fit,vt floſculi ferè noctu dehiſcant ante ortum Solis. Diurnus enim calor exiccat magis,nocturnus humectat felicius. Ille calorem & ſpiritus euocat ac diſſipat,hic diffundit augetque magis, nutricationemque plurimum promouet. Quod enim à diurno calore excitatus plantarum calor attraxit ex terra nutrimenti,id diſpergit ac diſtribuit beneficio lunaris caloris. Sunt tamen hic etiam quibus nimia ſit Lunæ potẽtia. Vnde cum alia quædam,tum cepę felicius germinant,cum Luna lumen ſuum amittit,quàm cum idem recipit & plena eſt. Sic alijs hyberni ſolis potẽtia talis eſt, æſtiua noxia, pleriſque hæc ſalutaris exiſtit,illa cauſſa interitus euadit.

Quæ ideo tam breuibus & tam multis exemplis declaro,vt rectè me dixiſſe liqueat,cauſſas generales & communes eſſe ſidera. Dum enim omnia ex æquo afficiunt fit, vt alia commodum,alia incommodum inde percipiant, prout vnũquodque aptum à natura factum eſt ad patiendum ab ipſis. Neque puto tam eſſe aliquem vel contentioſum vel imperitum,qui concedere nolit,aut non intelligat, eãdem eſſe Solis ac cæterorum ſiderum rationem, quod ad

Digitized by Google

hoc noſtrum inſtitutum pertinet. Etenim quibuſcunque viribus aſtra ſingula prædita exiſtimentur, res omnes pro ſuis viribus immutare ſtudent. Quòd ſi non eundem in omnibus effectum pariunt, non ipſorum viribus, ſed rerũ quas afficiunt, varietati tribuendum eſt. Quod quomodo eueniat, duobus illuſtrare exemplis breuiter conabor.

Cogita omnis generis animalia pedes habere vinculis compedibusúe ligatos aliquo in loco vno, vt nullum incedere queat. Accedat aliquis, qui ſimiliter vincula ſoluat, quocunque modo id faciat. Hoc facto continuò expeditè omnia ingredientur, tardè, celeriter, curſim, ſaltim, vnumquodque pro ſua natura & conſuetudine. Qui hoc modo vincula, quibus pedes eorum conſtricti tenebantur, diſſoluit, greſſum dediſſe, aut reddidiſſe omnibus rectè vereque dicitur. Non tamen is aut pedes aut gradiendi currendiúe facultatem contribuit. Nec, quia ab vno eodemque homine ſimiliter ſoluta ſunt, omnia ſimiliter etiam incedunt curruntque, ſed vnumquodque illum ſeruat inceſſum, qui ſuæ naturæ conuenit. Hoc ferè modo Sol cunctis rebus, aut plantis ſaltem penè vniuerſis, cum poſt hyemẽ ad nos reuertitur, hoc largitur, vt pro ſuæ naturæ viribus ſingulæ nutriãtur, creſcant, augeantur, generent. Frigore nanque impeditæ, quaſi vinculis conſtrictæ forent, nihil agebant, & pleræque emortuæ videbantur. Eo per Solis calorem depulſo, inſitus ipſarum calor alacriter reſurgit, humorem ſibi conuenientem ac familiarem attrahit, attractum concoquit, & in omnes partes diſtribuit, ac folia, flores, fructus, pro ſua natura producit, demumque reliqua officia exercet, ad quæ peragenda ſingulæ creatæ ſunt.

Non dat tum Sol plantis naturas ſuas & admirabiles illas, quas obtinent ſingulæ, dotes. Hæc enim omnia iam antè habebant, atque ita habebant, vt vti eam per propagationem ab illis acceperũt; quas Deus ab initio talibus eſſe, non alijs, viribus iuſſit. Hæ nanque quomodo agere ac ſe in omne tempus propagare iuſſæ ſunt, ita hodie etiam agunt ac ſe multiplicant. Ergo ſicut qui pedum vincula ſoluit, nec pedes nec progrediendi facultatem dedit, ſed impedi-

pedimentum duntaxat abſtulit: ita Sol quoque non vim & poteſtatem rebus inſerit ſingulis, ſed impediens frigus, à quo actiones omnium præpeditæ fuerant, pellit.

Si quid hîc eſt in ſimilitudine diſcriminis aut diſſimilitudinis, hoc ferè eſt, quòd qui vincula ſoluit, impedimentũ inceſſus ſolum abſtulit, facultati nihil contulit. Aſtra autẽ non impedimenta ſolum actionum tollere, ſed inſitum calorem etiam fouere, confirmare, augere, alacrioremq; reddere videntur. Hinc eſt, quòd non modò abſentia ſua Solis calor plurima corrumpit, ſed præſentia quoque nonnulla (vtrunque per accidens) perdit. Etenim, vt qui vincula diſſecare volens, penitius nonnunquam penetrans pedes vulnerat: ita Solis calor inſitum quarundam rerum calorem non erigit tantum ac recreat initiò, ſed tandem quoque euocat ac diſſipat, præſertim ſi imbecillior exiſtat. Sic idem calor multis eſt beneficus, aliquibus verò noxius, vt ſuprà quoque monui.

Quare duplici ratione actum largiri videntur ſidera terrenis iſtis rebus, impedimentorum ſcilicet remotione, & inſiti natiuique caloris corroboratione. Poſterior hic modus ex prædicta ſimilitudine intelligi minus fortaſſe commodè poteſt. Quanquam ſi quis accuratè perpendat, vtrunque in ea appareat. Vix enim aliter calor confirmatur à Solis calore, quàm frigoris à quo frenabatur cohibebaturque ablatione. Quantum enim contrarij frigoris habet res quælibet, tantò eſt calor ipſius in agendo imbecillior. Frigore pulſo, nutrimentum attrahit, concoquit, aſſimilat, ſpiritus copioſè procreat, ſeque ipſum hoc pacto auget. Attamen vt res minus habeat obſcuritatis, ſed prorſus fiat plana, exemplo vtar alio, rudi quidem illo, ſed aperto & valde appoſito.

Imaginare tibi gallinam ouis diuerſi generis, anatum ſcilicet, anſerum, gallinarum, & aliorum animalium incubantem. Non hîc propono, quæ non aut videris ſæpe, aut certè audieris eueniſſe. Ex Galeno deſumpſi, ex primo videlicet libro de Vſu part. cap. 3. vbi pulcherrimè hanc rem explanat, quemadmodum videre ipſe poteris. Hæc oua di-

uerſa,non vnum prorſus calorem,ſed diuerſos,quælibet nũmirum ſuum, hoc eſt,ſuæ tantum naturæ conuenientem in ſe continent. Qui in anſerino ouo ineſt, nec gallinaceis nec anatum ouis conuenit. Et qui in gallinaceo reperitur, haud commodus fuerit anſerinis. Ratio eadem eſt in cæteris. In hoc conueniunt, quòd tam eſt in ſingulis calor imbecillus, vt niſi ab externo & moderato calore adiuuentur, nullum vnquam ſint animal procreaturi. Ergo cum vnicus idemque gallinæ calor omnia hæc oua fouens, frigus quod in ſingulis ineſt ſuperauerit, & hoc modo de potentia ad actum perduxerit, temperieque ſua confirmauerit, ſinguli iam agere pro ſua natura incipiunt. Sic anſerini oui calor, non pro natura recepti à gallina incubante caloris, ſed pro ſua propria, non gallinam, ſed anſerem fingit ac format: gallinaceus verò, non anſerem, ſed gallũ gallinamúe creat. Ab vnico igitur incubantis & oua fouẽtis gallinæ calore, multi ac natura viribusque diuerſi calores actum accepêre, hoc eſt, impedimento demto hactenus confirmati ſunt, vt iam quiſque animal pro ſuo ingenio ex ſubiecta ſibi materia efformare quiuerit. Non enim aliter gallina anſerina oua calefecit, quàm reliqua. Neque diuerſis caloribus, ſed prorſus vno cuncta fouit. Et hic quamuis vnus & idem eſſet, ac diuerſa genere oua ſimiliter calefaceret, diuerſa tamen animalia generauit, nō quidem per ſe, ſed auxilio diuerſorum calorum. Diuerſos voco, quia non eadem eſt omnium temperies, nec idem omnes operantur.

Sic idem hypocauſti calor, in quo diuerſas genere plantas aliqui ſeruant, diuerſiſſimarum actionum cauſſa communis exiſtit. Dum enim calefaciendo inſitum in ſingulis calorem fouet ac conſeruat, omnes pro ſua natura operantur perinde ac ſi Soli æſtiuo expoſitæ forent. Proferunt enim folia, flores, fructus, paulò infelicius quã æſtate, quæ in temperato loco dicto modo fouentur plantæ.

Simili ratione ac modo recipiunt hæc terrena actum ab aſtris, præcipuè vero à Sole, deinde à Luna. Quo accepto

pto, vniuerſa iam, non pro natura à ſideribus recepti caloris, ſed pro inſitis ſibi à Creatore viribus agunt. Quare tametſi iuxta rutam poſita lactuca, ab eodem Solis calore & eodem modo, quo ruta, caleſiat: non tamen, vt ruta, amareſcit vnquam, nec vel folia vel ſemina ſimilia illis profert. Quæ cauſſa eſt? Hæc eſt, quòd Solaris calor frigus, quod inſitum harum plantarum calorem quaſi ſtrangulabat, diſſipauit, & cognata vi auxit. Quo facto, vnuſquiſque ita incœpit agere, vti à Creatore agere iuſſus eſt. Iuſſus verò eſt ſibi ſimile generare. Quare non aliud lactuca generat, quàm lactucam, ſi nihil interueniat quo actio impediatur, aut quaſi adulteretur. Hucuſque cœlos docui vniuerſales cauſſas me credere rerum ſublunarium, atque etiam quomodo intelligi id debeat explanaui.

Iam ad tempeſtatum generationes iſta vtcunque aptare conabimur. Exactè me hîc omnia dicere poſſe neque polliceor, nec expectare te iubeo. Nolim quiſquam hoc ſibe de me perſuaderet. Pluuias, niues, grandines, ventos, ex vaporibus exhalationibusúe de terra & aqua ſurſum elatis generari, confeſſum eſt omnibus. Eaſdem non ſecus fieri gignique poſſe, quàm ex aqua & terra attenuatis, ſimiliter notum teſtatumque eſt. Nec minus illud verum eſt ac certum, à calore attenuari hæc elementa prius oportere, quàm hos de ſe vapores emittant. Ineptiſſimè fecerim, iſta ſi pluribus probare velim. Nam argumentis demonſtrare id velle, cuius contrarium fieri non poteſt, inſania potius eſt, quàm ſapientia.

Porrò calor extenuans & rareſaciens duplex eſt, ſubterraneus & aëreus ſiue cœleſtis. Hic à ſideribus omnibus, præſertim verò à Sole & Luna promanat. Ille in terræ viſcerib. hæret, vndecunq; eum profectum putes. Nec eſt in omnib. locis æquè vel potẽs vel copioſus, ſed in alijs parcior, in alijs copioſior inuenitur. Nonnullis in locis igneus reperitur. Tãta ipſius vis cũ ſit, nõ mirũ eſt, quod & admirabiliũ operũ eſt effector, & ſpiritus ſiue halitus infinitã penè copiam

generat. Hic maximus & potentiſſimus eſt, cum aëris calor eſt minimus, & contrà etiam cum Solis calor imperiũ aëris obtinet, exilis admodum imbecillusque exiſtit, ſi ſecum, qualis in hyeme eſſe ſolet, conferatur.

Huius ſimilitudo quędam in corporum noſtrorum calore cernitur, qui & ipſe hyeme copioſiſſimus, æſtate parciſſimus eſt. In cauſſa eſt, quòd vterque æſtate propter cognationem euocatur ac diſpergitur, hyeme verò vnitur ac cogitur in profundo, propter circunſtans aëris frigus. Quæ huc vſque dixi, tam planè tamque ſolerter & ſolidè ab Ariſtotele in lib. Meteororum expoſita reperiuntur, vt meritò ab vberiore vel declaratione, vel probatione abſtinere debuerim. Inſpicere vel ſolam diſputationem te velim de Ventorum generatione, quæ in 2. libro ab eo perſcripta eſt. Quanta verò ſit vis frigoris æſtate in terræ cauitate cõcluſi, & rurſus caloris à frigore hyemali in profundũ repulſi, ibidemque coacti, illuſtri exemplo breuiter exponam.

In ditione illuſtriſſimorum principum Hennenbergẽſium, prope pagum Northeim (cui ab iſta re, quam narrare incipio, nomẽ à frigiditate additũ videtur, Kalt Northeim) locus eſt in accliui montis parte, qua meridiem ſpectat, amplus admodum, qui media æſtate denſiſſimam habet glaciẽ, media verò hyeme, cum omnia ſunt altiſſimis tecta niuibus, & frigore omnia ferè pereunt, neque nix neque glacies vlla cernitur in toto eo ſpacio. Et quãto æſtas eſt calidior, tanto glacies eſt craſſior. Contrà quanto hyems eſt frigidior, tanto caret magis niue & glacie. In cæteris temporibus mediocribus, mediocria omnia viſuntur.

Cauſſa huius miraculi minimè obſcura eſt. Etenim terra illo in loco poris meatibusque plena eſt & caua. Operta eſt multis lapidibus, inter quos terra quædam rara, poroſa & muſcoſa cernitur. Inter eundum ſi inter duos lapides pedem aliquis ponat, cedit ſub pedibus terra. Ex quibus haud difficulter perſpicitur, calorem hyeme ibi potentiſſimum eſſe, qui niues decidentes facile diſſoluat, colligique ibidem non patiatur. Contrà verò æſtate frigus eò repulſum cogi vnirique hactenus, vt vapores incidentes terræ

atque

atq; pluuias in glaciē cogat, quā neq; Syrij neq; Solis radij ſoluere queant. Argumento certiſſimo ſit, quòd, cum æſtas frigida eſt, glacies aut nulla aut pertenuis & perexigua reperitur. Non poteſt circunſtans calor frigus tunc cogere ſatis vnireque, ſicut cum vehementior eſt, poteſt.

Ex hac narratione ſatis patet, quanta ſit vis caloris ſubterranei, cuius infiniti alij effectus indices exiſtunt. Generat hic magnam, imò incredibilem ſub terra ſpirituum copiam, ex quibus metalla & metallica omnia, ſi Ariſtoteli credendum eſt, fontes, lapides, &c. oriuntur. Ab ijſdem collectis, exitumque non inuenientibus terræ motus excitantur, quibus non ædificia modò, verum etiam montes aliquando euulſos legimus. Non malè mihi videntur ſentire, qui Gigantum fabulam ad hæc ſignificanda confictam ab antiquis iudicant. Eructant enim ſæpe terram, & quaſi mōtes montib. imponunt. Ergo à duplici iſto calore vapores ſiue exhalationes ſuſcitātur, ex quibus meteora omnis generis naſcūtur. Et ſolis quidē calor, tametſi lōgè potentiſſimus eſt aliquando, vix tamē ſolus, imò ne vix quidem, tantam exhalationum copiam generet, quanta tot nubibus, pluuijs, niuibus, ventis, generandis ſufficiat. Nam ſæpe nimis eſt vehemens, conſumens potius vapores quā cogens, nonnunquam imbecillior eſt, quàm vt tantum opus ſolus perficiat. Hinc æſtate pauciores venti ac pluuiæ generari putantur, quia plus diſcutiat vaporum Solis calor, quam ferè generet. At hyeme inefficaciorem eſſe, quā vt excitare ſatis multos poſſit.

Hæc vt vera ſint, non tamen omnia explicant. Quippe æſtate calor ſubterraneus ab aëreo calore euocatus, terram ferè deſeruit, paucioresque multò quàm in vere & autūno ſpiritus halitusúe ſuſcitat. Vnde cum & pauciores colligantur, & à calore collecti iam magna ex parte diſſipentur, non immeritò pauci venti tunc regnant, rarioresque pluuiæ decidunt. Hyeme autem etſi calor ſubterraneus efficaciſſimus eſt, & halitus omnino plurimos generat, nec exire tamen facilè, nec à ſideribus attrahi aptè poſſunt. Clauſa nāque vndique eſt terræ ſuperficies, & altiſſimis

præterea contecta niuibus, vt perpauci ex ea effluant, præter eos, qui ex fontibus, fluminibus, ſpecubus, & terræ hiatibus ſiue rimis exhalant.

Non obſtat noſtræ ſententiæ, quòd hyeme plerunque aër eſt craſſus, nebuloſus, turbidus, obſcurus. Non enim hoc fit, quia plures aut æquè multi aſcēdant ex aqua & terra noſtra vapores, ac æſtate alijsque anni temporibus eleuari probabile eſt. In cauſſa hoc eſt, quòd paucæ etiam illæ exhalationes, quas in aëre colligi diximus, propter imbecillam Solis actionem non diſcutiuntur. Quapropter in eo permanent, niſi Boreæ flatibus diſpellantur, alioque propellantur. Tunc enim redditur purior multò aër, vt nemo non videt.

Similiter illud mouere neminem debet, quòd crebriores pluuiæ videntur hyeme cadere, quàm alijs anni temporibus. Primum quidem, quia non hic neceſſe eſt materiā pluuiarum collectam eſſe, ſed aliunde adduci potuit. Ego certè cum vltimam pueritiæ meæ ætatem memoria mecum repeto, non recordor vllam me pluuiam vidiſſe, quā non præceſſiſſet ventus, qui nubes ſecum, quibus cœlum obtegeret, aliunde adduxiſſet. Nebulas craſſas in aquam ſolui aliquando tam multam vidi, vt depluere putarem, & terram madefieri cernerem. At pluuiam ſine acceſſu nubium ex regionibus alijs alioúe ex cœlo, decidiſſe non memini.

Atque haud ſcio, an ex vaporibus ſiccis, qui apud nos in aërem aſcendunt, ventum hic frequenter generatum, dicere auſim. Quanquam in ea ſum ſententia, vt putem facilius probabiliusque defendi poſſe, ventos aliquando etiam hic generari, qui longius progrediantur. Etenim negari nequit, quin certa loca peculiares habeant ventos, quibus alia loca remotiora careant. Experientia probat, atque præter alios autores Hippocrates & Galenus obſeruandos Medico tales optimo iure docuerunt. Non rarò ventos in montibus obſeruaui, quos in planicie nemo percipere potuit. Hippocr. etiam non ſine cauſſa dixit, ventos nunquam diſcedere à montibus. Hic enim ſpiri-

tuum

tuum maxima generatur copia. plerique cauitates multas habent, in quas ſe cō dit calor, cum frigus aëris fugit. Hinc ferè metalla & metallica in montanis locis fœlicius, quã in planis proueniunt. Certè nubes, nebulæ, & omnis generis vapores circa montes plurimi ſemper colliguntur. Quòd ſi non generari ex his conſtet pluuias, quod an defendi poſſit, neſcio: certum tamen eſt, ventos hinc naſci, & pluuias inde augeri plurimum poſſe. Nihilominus verum erit, plerunque ex alijs locis nubes adduci, ex quibus hyeme pluuiæ niuesque ferè naſcuntur. Hæc prima eſt reſponſio.

Altera eſt, quòd non hyeme ſemper tam crebræ decidunt pluuiæ niuesque, ſed autumno potius & veris initio Quòd ſi hyeme accidat, ex alijs locis aduenire materiam oportet, & expoſitum eſt. Vere autem & autumno etiam hic generari facilè poſſint, certè plurimũ augeri neceſſarium prorſus videtur. Hiſce nanque temporibus vaporibus omnino plurimis aër repletur. Etenim ſubterraneus calor vere, frigore iam miteſcente, prodire, terramque aperire incipit. Quo facto, ſpiritus, qui per hyemem ſub terra collecti ſunt, erumpunt, aerique ſe permiſcent, Solis verò calor tepidus conſumere eos nequit. Quare in nubes coguntur, ex quibus reſolutis in aquam terra madeſcit. Simili ferè ratione autumno calor ſeſe rurſus in terræ caua inſinuans, pręcal factas ab æſtiuo calore humidiores terræ partes facile in ſpiritum conuertit, aërique miſcet.

Ex cõmemoratis liquet, cur nec æſtate media, nec hyeme ad ſummum frigiditatis perducta, tanta exhalationum copia referciatur aër, quanta alijs temporibus impletur. Patet illud etiam, vtrunque calorem neceſſarium eſſe ad tẽpeſtatum generationem. Quinimò ſubterraneus calor, ſi quis rem exactè ponderet, primas in opere iſto partes obtinent, aut ſaltem non ocioſus eſt, parumque res iſtas promouet. Quæ quanquam ita habent (Non flagitabis argumenta plura hoc loco, cum ſenſus te docere queant vera eſſe omnia) non tamen accuſandus erit, qui ab aſtris omnia hæc ſolis fieri affirmet; modò quod rectè dicitur, rectè

Digitized by Google

intelligatur Etenim aſtra huius quoque caloris, qui ſub terram hyeme colligitur, cauſſæ ſunt effectrices, per accidens tamen. Nam à calore aëris augetur, minuitur, cogitur, diſpergitur; licet per accidens fiat.

Nec mirum id videri alicui debet, cum multa per accidens cœleſtia tum generent tum interimant animalia quoque, nedum plantas & inanimata. Suprà exemplis tota hæc res eſt declarata copioſius. Equidem Solis ad nos acceſſu frigus ad profundum terræ pelli, caloremque ibi exiſtentem euocari certum eſt, quocunque id modo eueniat. Contrà cum à nobis abit, frigorique aëris imperium permittit, in cauſſa eſt, cur calor magno impetu ad profundum refugiat, & frigus inde exire cogat. Neque difficulter hoc aduenienti calore cedit, præſertim cum ſuo ſe expetat ſimili coniungere. Quare vt non malè dicimus, Solem ortus atque interitus omnium rerum cauſſam eſſe (Quod de Sole exempli gratia dicimus, de omnibus ſideribus intelligi volumus) tametſi diuerſorum, imò contrariorum iſtorum effectuum non eodem modo cauſſa fiat: ita rectè etiam aſſerimus, Solem cauſſam eſſe, cur ſubterraneus calor modò augeatur, modò minuatur. Quo fit vt ſerenitatis etiam atque tempeſtatum cauſſa rectè affirmetur eſſe, quocunque tandem modo vtraque iſta perficiat. Aſtra ergo aëris tempeſtates omnes pariunt, partim per accidens, partim verò per ſe, terram ſcilicet atque aquam calefaciendo, extenuando, & in vapores ac ſpiritus conuertendo.

Iam verò cum manifeſtum ſit, tempeſtates aliter generari non poſſe, illud etiam patet, Solem atque Lunam pręcipuè tẽpeſtates exeitare, minus alia ſidera. Illorum enim actio ſenſibilis eſt ac manifeſta, horum nullo percipitur ſenſu, ſed mente duntaxat percipitur. Quocirca ſi quid illa hîc poſſunt, attrahere potius ſurſum genitos iam vapores à Sole atque Luna poſſunt, quàm eoſdem generare. Hinc eſt, quòd Ariſtoteles Solis atque Lunæ tantum ferè meminit, præſertim verò Solis, cum de meteororum iſtorum ortu diſſerit. Quòd ſi à ſubterraneo calore ſolo omni tempore ſatis ſuppeditari ſpirituum putes, ſideribus, vt

neceſſe

neceſſe non habeant excitare, ſed ſatis habeant, ſi attrahere eos queant, non parum hîc falleris. Quippe hallucinatus plurimum fuiſſet Ariſtoteles cum præſtantiſſimis omnibus omnium ætatum Philoſophis, in reddenda cauſſa cur vno tempore pluuiæ ac venti naſcantur plures, quàm alijs temporibus. Deinde ſi ſatis magna ſuppeteret horũ ſemper copia, neceſſariò ſemper plueret aut ningeret, quoties ſidus aliquod oriretur, quod attrahere eos poſſet. At poſſunt omnia, aut certè plurima, eaque ſingulis 24. horis ſuper horizontem feruntur. Semper igitur aut nocte aut die plueret ningeretúe. Idem de grandine, ventis ac ſimilibus intelligi volo.

Neque effugiat Aſtrologus, ſi aſſerat ſidera per ſe vim hanc non obtinere, ſed ex certo cum alijs congreſſu vel aſpectu adipiſci. Nam vt alia argumenta omnia hîc mittã, neceſſariò pluuia fieret, quoties huiuſmodi ſtellarum aſpectus contingeret. At hoc non minus manifeſtè falſum eſt, quàm prius, id quod ne Aſtrologos quidem prudentiores negaturos certò ſcio. Falſum ergo illud eſt, ex quo iſta ſequebantur, quòd copia ſemper exhalationum ſatis magna pręſens ſit, vt non niſi attractione opus habeant. Aut certè cauſſa eſt adferenda, cur non ſemper attractioni paratos halitus rapere ad ſe poſſint. Quod quia multo difficilius ipſis erit oſtendere, quàm veritati cedere, libentius qui ſapiunt cum Ariſtotele & cunctis rectè philoſophantibus fatentur: ita ſidera tum aquas tum terras ſemper attenuare, inque halitus vertere, vt apta ſit vtraque. Quo poſito, nihil erit inter nos diſcriminis aut controuerſiæ amplius. Iã pridem enim declarauimus, cœleſtia ſidera terrena hæc vniuerſa ita permutare, vt permutari omni tempore apta ſunt ſingula, quod exemplis ſuprà propoſitis copioſe ſatis declaratum fuit. Et hæc ad ſecundam & tertiam interrogationem dicta ſint.

Ad poſtremam tuam quæſtionem haud difficile eſt reſpondere. Nam certum eſt, vel te ipſo affirmante, librum illum ſuperſtitioſis & anilibus fabulis ita eſſe refertum, vt vix aliud contineat. Nec minus illud etiam conſtat, quod

Medicorum veriſſimis placitis autor contradicat. Ipſemet autor vno in loco diſſimulare nō eſt auſus, cum ſic ſcribit: *Licet hoc dictis Medicorum nonnihil repugnare videatur*. Poſtremò argumētis ipſum vti futilib. & falſis, hoc eſt, verè Aſtrologicis, facilè ex dicēdis apparebit, cui per ſe id nō patet.

Mathematicam ſcientiam exactæ veritatis eſſe, quāuis vel ex Stoicorum ſententia conſtare poſſit, tamē ſe id probaturum propter duas cauſſas ſcribit. Prima eſt, vt ab omnibus Mathematica cognoſcatur. Altera, vt plurimi Medici, non tamen omnes, intelligant, ſe artem præſagiēdi Mathematicæ ſcientiæ debere. Atque hîc cum, quod fuerat pollicitus, præſtare debuiſſet, propoſiti ſui oblitus, tranſit ad probandum, Aſtrologiam Medico vtilem eſſe. Quare falſò dixit ſe Mathematicæ veritatem velle probare.

Quod ſi per ſcientiam Mathematicam dicatur Aſtrologiam intellexiſſe, longè errauit craſſius. Primùm quidem, quia non probat, hanc exactæ veritatis eſſe, quod receperat. Deinde, quia nullum exiſtimo Aſtrologum eò dementiæ perueniſſe, vt prædictiones ex aſtris exactè veras cēſeat. Ptolemæus certè aliter ſcriptum reliquit. Si quis hactenus inſanit, cum eo fruſtra egero. Præterea ſi exactæ veritatis eam eſſe oſtenſurus fuerat, non tamen inde conſectarium erat, vt Medici præſagiendi artem huic acceptam referrēt. Et ſi referre eos oportebat huic acceptam, omnes boni Medici id facturi fuiſſent. Ipſe verò, ait, non tamen omnes.

Quæro quos intelligat per iſtos, quos hîc excipit. Si Hippocratem, Galenum, & qui inter hoc duos floruerunt, intellexit: illud quod verum eſt fatetur, hos non debere peritiam præſagiendi Aſtrologiæ. At hi artem præſagiendi inuenerunt & excoluerunt, vt addi nihil præterea poſſe videatur: hiſce igitur, non Aſtrologis, artem omnem præſagiendi debebimus.

Poſtremò quomodo non veritus eſt Aſtrologiam Mathematicam facere ſcientiam? Mathematica verſatur circa lineas, ſuperficies, magnitudines, & vt ſemel dicam, circa ea quæ ἐξ ἀφαιρέσεως ὄντα vocarunt Græci. Quamquam enim in ſubiecto aliquo hæc ſunt, attamen vt Mathematica ea

ca ea

ca ea conſiderat,immutabilia & in mente artificis tantum exiſtunt. At verò Aſtrologia circa operationes & effectus aſtrorũ verſatur,quos naturalis examinat inquiritq; philoſophus. Ille certa & immobilia ſpectat, Aſtrologus autẽ contingentia & dubia tractat. Taceo hîc,quòd nihil aliud quàm mendacia conſarcinat. Si non plus haberent Mathematicæ ſcientiæ veritatis,quàm habet Aſtrologia, tardè ac ſerò probare hic autor nobis poterat, Mathematicã ſcientiam exactæ veritatis eſſe. Iam vt hoc libenter credimus, ita mentiri Aſtrologos pleraque non neſcimus.

Neque ad rem eſt,quod à nonnullis obijci contra prædicta ſolet,Aſtrologiam ad Mathematicas ſcientias pertinere ideo, quia Aſtronomiam præſupponat, vt loquuntur. Nam ſi hoc ſit ſatis,licebit vnicuique præſtantiſſimis artibus pro libidine aliquid affingere,& ſub eiuſdem nomine venditare & nobilitare. Conſtat Aſtronomiam non aſtrorum vires & actiones conſiderare, ſed motum atque magnitudinem eorum inueſtigare ac metiri. Quare non erit illa vanitas præſtantis huius ſcientiæ pars aliqua exiſtimanda.Sed ad rem redeo.

Nunquam iſte autor ſuis argumentis probabit Medicos bonos artem præſagiendi Aſtrologiæ debere. Etenim ſi memineris eorum,quæ in ſuperioribus meis literis à te perlectis,ſcripſi, facilè recordaberis Galenum affirmaſſe, nunquam Aſtrologos aut alios Vates vera de ægris prædixiſſe. At ipſe ex arte præſagiendi Medica nũquam errauit. Quomodo ergo quod verum eſt, mendacio id,quod eſt, debebit? Et non pertinere ad Medicam artem Aſtrologiã planum teſtatumque omnibus eſt non ſtupidis omnino. Hic certè autor,licet obſcurè,confitetur. Quo fit,vt magis mirer quomodo non puduerit eum aſſeuerare, præſagiendi artem nos Aſtrologiæ debere, cui non plus eſt cum ea familiaritatis, quàm cum Extiſpicio vel Augurio vel alia quauis vaticinandi vanitate. Sed argumenta ipſius examinare iam tempeſtiuum eſt.

Duobus vtitur argumentis,vel vnico potius, quod duobus comprobat medijs, ad probandum Aſtrologiam Me-

Digitized by Google

dicinæ vtilem eſſe. Præclariſſimi, inquit, Medici ita cenſuerunt, ergo verum eſt. Antecedens probat authoritate Hippocratis & Dioclis. Primum hoc modo. Hippocrates ait illos decipi, qui phyſiognomoniam ignorant, ergo Aſtrologiam approbauit. Conſecutionem ſic oſtendit. Hippocrates laudauit partem philoſophiæ diuinatoriæ, ergo laudauit totam. Porrò maxima Aſtrologiæ pars pertinet ad hanc philoſophiæ partem, ergo Aſtrologiam commendauit. Altera confirmatio primæ propoſitionis argumenti primi, talis eſt: Diocles non hoc tantum dixit cum Hippocrate, ſed præterea affirmauit, veteres Medicos præcognitiones, quę in morbis fiunt, ex diuerſitate luminis & curſus Lunæ, conficere ſolitos fuiſſe. Hæc ſunt præclara præclari illius autoris firmamenta, quæ quomodo refellenda putē audire cupis?

Valde miror, cum conquiſiuiſſe omnia, corraſiſſeque videatur, quæ aliquo pacto huc inflecteret ac intorqueret, Galeni ipſum non meminiſſe, & ex 3. Decretoriorum nihil protuliſſe: Aut non legit illos, aut Galenum nō ſatis æquū Aſtrologiæ perſpexit. Vt enim poſt Galeni ætatem vixiſſe ipſum credam, non prorſus nulla coniectura eſt. Et certè cum non omnes Medicos artem præſagiendi Mathematicæ acceptam relaturos ſcribit, in eam ſuſpicionem venio, ipſum non ignoraſſe quàm nullum inueniret apud Galenum patrocinium aut ſubſidium.

Sed neque Hippocratis, neq; Dioclis autoritas ei ſuffragantur. De hoc vt credam id facit, quòd Galenus non demiſsè de hoc homine ſenſit, huiusque teſtimonio libenter vſus eſt. Quod ſi in 3. Decretor. potuiſſet ſuam ſententiam tanti viri authoritate ornare, non pretermiſſurus fuiſſe videtur. Adde quòd Galenum mentitum fuiſſe oporteret, ſi verum eſſet, quod hîc dicit. Etenim Galenus apertè aſſeuerat, ſe primum tētaſſe cauſſam motus illius in morbis per quaternarium & ſeptenarium, in Lunæ motum reducere, Medicos omnes qui ante ſe fuerint, ne conatos quidem aliquid ſimile fuiſſe. Locus in 1. com. Progn. habetur. Quare nec criſis, nec alius in morbis prædictionem mutationis,

Digitized by Google

ex Lunæ curſu veteres reddidiſſe liquet.

Si quid tale dixit Diocles, proculdubio non de Medicis, ſed de Aſtrologis aſſeruit. Tentaſſe nanque Vates morborum euentus præſagire, vt hodie, ita olim quoque, ex Galeno colligi poteſt, cum Romæ nunquam Vates vera de ægris prædixiſſe aſſeueranter affirmat. Niſi hoc intelligere velis, veteres Medicos in cōſideratione temporum, etiam Lunæ ſtatum ac lumen conſideraſſe. Omnia nanque cum plena eſt, tutiora ſibi promittere æger poteſt, quàm cum lumine aut prorſus, aut magna ex parte priuata eſt. Verū ego pro certo mihi perſuadeo, Dioclem tale nihil aut ſenſiſſe aut ſcripſiſſe. Probabilius eſſe, quòd dico, tūc videbis, cum quomodo Hippocratis teſtimonium citet, perſpexeris, de quo iam dicendum erit.

Non ſine cauſſa iterum hîc me mirari dixero, quòd non alia ex Hippocrate teſtimonia protulerit in medium. Sanè noſtri temporis Aſtrologi vix ita inepti ſunt, vt hæc pro ſe adducant, cum veriſimiliora ſe habere putent. Nec poteſt negari, locū de quo ſuprà ad te, & in literis Stathmionis diſſerui, facilius & aptius huc trahi poſſe, quàm quę hic autor huc inducit: Suſpicor hîc etiam Galeni ipſum interpretationem ſibi obſtare vidiſſe. Sed vtvt iſta habeant, nihil efficit eorum quæ volebat. *Hippocrates, ait, tribuit plurimum phyſiognomoniæ, & decipi Medicum, qui non ſit in ea exercitatus, affirmat.* Hic nullam ei moueo litem. Neque ſuperſtitioſè percunctari volo, quid per phyſiognomoniā intellexerit, & quouſque credendum ei cenſuerit. Nemo, puto, Medicus ambigit, quin ex corporis habitu, colore, lineamentis, figura, & ſimilibus, rectè quædam conijciamus. Certè talia cùm in ſanis tum in ægris vtiliter obſeruari conſtat, imò ſæpe neceſſarium eſt.

Quod mox addit, maximam Aſtrologiæ partem ad hāc iudicatoriam phyloſophiam, hoc eſt, ad phyſiognomoniā pertinere, vehementer ab eo oſtenſum velim. Quid, quæſo te, ſimile habent vaticinium ex aſtrorum coitionibus, digeſſionibus, quadratis, trigonis alijsque aſpectibus vocatis, & ex corporis lineamentis, figura, forma, habitu

inceſſu, locutione,aſpectu,& ſimilibus de cauſſis, à quibus iſta orta ſunt,conijcere? Hæc omnia,qui,quomodo à temperatura & formatrice facultate fiant, percepit, nonnihil ex ipſis vt ex effectibus de cauſſis efficientibus colligit. At verò quam habent cœleſtes aſpectus connexionem cum particularibus morborum mutationibus,aut moribus hominum? Semel dicam omnia, ineptum eſſe qui Aſtrologiam partem phyſiognomoniæ fecit,ineptiorem qui credit,ineptiſſimum qui defendere ſtudet. Sic enim ſapientes iudicant,per imprudentiam ei,qui primus inuenire aliquid tentat, falſi aliquid excidere poſſe,nec tantopere dãnandum hunc eſſe,quàm qui poſtea legit & ſecum perpendit,nec falſitatem perſpicit. Maximè verò reprehenſione dignum videri,qui,quod falſum eſſe perſpexit,tanquam verum defendere nititur. Neque verò opus eſſe iudico,vt falſitatem ſententiæ iſtius pluribus coarguam. Ambigitur enim à multis,vter ſtultior ſit dicendus is,qui abſurda cogitauit,an qui eadem longiore oratione impugnat.

Quamobrem peſſimè iam concludere ipſum liquet, quia partem probarit Hippocrates,totam probaſſe videri. Non enim aut partem aut particulam vllam huius vanitatis probauit vnquam vir eruditiſſimus & prudentiſſimus. Quis non iam cernit Aſtrologica eſſe, quæ adduxit argumenta huius libri autor,hoc eſt,euanida,falſa, & mentita? Iam me tibi præſtaſſe opinor,quod à me petiuiſti. In primis tribus capitibus explicandis longior paulò fui, quod non indigna opera illa viderentur. Poſtremum vix dignum eſt,de quo tot dicantur,quot tibi vt gratificarer, dixi. Si quid præterea deſiderabis, meq; admonueris,pro virili parte exponam. Vale. Heidelbergæ.

Digitized by Google

LIBER SECVNDVS.

EPISTOLA X.

Thomas Eraſtus viro clariſſimo, Domino N. N. Mathematico, amico optimo S. D.

VIX dici poteſt quã gratæ mihi literæ tuæ fuerint, quas nuper nobilis ille mihi reddidit, cùm propter alias quaſdam cauſſas, tum quòd te cum coniuge rectè valere, meiq; memoriam te retinere demonſtrarẽt. In pręſentia omnibus alijs omiſſis, quæ de Aſtrologia ſcribis examinanda putaui. Scribis te opinari, quæ contra Aſtrologos diſputaſſe me audieris, non tam contra Aſtrologiam, quàm contra abuſum, qui magnus vbiq; ſit, dicta ſcriptaq; mihi fuiſſe. Ac non alia de cauſſa Romanos aliquot Imperatores Chaldæis imperaſſe, vti malam artem relinquerent (ſic enim appellas) ac ſi non paruiſſent, pœnas penderent, arbitraris. Quinetiam vrbe aliquoties ob hanc rem pulſos iudicas. Veram Aſtrologiam, quæ ex crebra naturaliũ cauſſarum obſeruatione orta ſit, magnum Dei donum te reputare addis. Eam & naturalem eſſe & ab homine ſciri poſſe, aliquot argumentis te in opere, quod in manibus habere te ſcribis, probaturum aſſeueras. Præterea ad calumnias quorundam ex Patribus & hiſtorijs reſpondere te ſtatuiſſe aſſeris.

Hęc tua cum legerem, maximè cum Aſtrologiam quandam verã eſſe naturalemq; credere videreris, ſubſtiti pauliſper, & quid tibi velles, diligentius cogitare mecum cœpi. Nec videre tamen potui te de alia loqui, quàm de iudiciaria ſiue diuinatrice, quam προγνωστικὸν δι' ἀστρονομίας appellant. Quo pacto naturalem hanc vocares, multò minus intelligebam. Nam ſi ita naturalem eſſe putares, vt diuinationum Cicero aliquas naturales facit, atq; artificioſis opponit, conſtare ſententiã minimè poſſe præclarè videbam. Quoniam de tali Aſtrologia nemo vnquã, quod ſcire potuerim, aut ſcripſit aut diſſeruit vnquam. Deinde non fuerit ars hæc Aſtrologia, tu autem de arte mihi loqui vide-

Digitized by Google

baris,de qua me concertationem ſuſcepiſſe nõ ignorabas.

Quòd ſi propterea naturalẽ dicere velles, quia inſitam nobis vaticinandi facultatem fingeret, exornaret, perficeret,ne ſic quidem defenſurus opinionem videbaris. Non dubito quidem, quin artibus quibuſdam inſitas nobis facultates plurimum augere, perpolire, melioresq; reddere valeamus. Vis eſt hominibus orandi ac diſſerendi ingenita,qua nonnulli ſine arte,multò diſſerunt ac orant elegantius meliusq; alijs quibuſdam, qui haſce artes perdidicerunt. Hanc nihilominus illuſtriorem perfectioremq; effici poſſe,ſi ars accedat,nemo arbitror negat. Ptolemæũ quoq; minimè neſciebam alicubi ſcripſiſſe, illũ ſolum optimum Vatem Aſtrologumúe fore, qui ad futurorum præſenſionem natus, & quaſi numine quodam afflatus eſſet. Attamen perſuadere mihi nõ potui, te hoc pacto Aſtrologiam connaſci nobis exiſtimare. Nullus enim vnquam extitit Aſtrologiæ ignarus, qui pro aſtrologo haberetur. Nullus etiam ex aſtris futura præuidere creditus eſt, qui motum eorum obſeruare nunquam didiciſſet.

Poteſt præterea illa doctrina,quę cœlorum & aſtrorum, (naturalium ſcilicet corporum,) naturas, cauſſas, facultates, proprias operationes perſcrutatur, naturalis Aſtrologia rectè nominari. At hæc non docet ex aſtrorum viribus, quasq; huc demittunt qualitatibus hariolari,nec ad vatem vllum pertinet, *ſed tota philoſophiæ* naturali ſubiecta eſt. Hanc *Ariſtoteles* nõ exorſus modò eſt in ſua philoſophia, ſed propemodum perfecit, diuinatricem nuſquam approbauit.Quinimò futurorum præſcientiam,quam Aſtrologi ſibi arrogant, ſupra vires captumq; hominis eſſe demonſtrauit.Aſtra ſanè ab ipſo non vt particulares & propinquæ ſiue definitæ cauſſæ (ex quibus tamẽ ſolis diſtincta rerũ cognitio oritur) horũ inferiorũ cõſiderantur, ſed maximè tũ vniuerſales communesq;,tũ remotas & interminatas omniũ,quæ hic fiũt,cauſſas docuit. Iã verò conſtat inter has & particulares effectus, qui hic ſunt, infinitas & homini incõprehenſibiles cauſſas alias interuenire.Quomodo igitur ex illarũ inſpectione aliquid prędiuinare homines queant?

Quæ

Quæ à ſideribus hic fiunt, non niſi opera ſecundarum cauſarum producuntur. Quamobrem nõ minus per accidens ab ipſis particulares euentus efficiuntur, quàm vnum idemq́; vinum perficere per accidens dicitur, vt inebriatorum hic quidem ploret, ille rideat, alius iraſcatur, alius obmuteſcat, atq; pro ſuæ quiſq, naturæ propenſione aliud ac aliud agat. Ceterùm Ariſtoteles in hac de cœlo & ſideribus tractatione non fortuitas accidentalesq́; cauſſas, ſed proprias & per ſe appellatas tum cauſſas tum facultates inueſtigat. Ex quo liquidò cernitur, Aſtrologiã μαντικὴν ſub hac doctrina minimè cõtineri. Quòd ſi per Aſtrologiam hanc de ſideribus & aſtris ſcientiam intelligis, tuæ me ſententiæ laudatorem approbatoremq́; habebis. Quippe donũ Dei eſſe ac ſciri ab homine poſſe libenter confiteor. At diuinatricem, quam ego ſolam vitupero, ſciri poſſe, naturalemq́; eſſe haud probabis. Ne hoc quidẽ igitur modo naturalem te Aſtrologiam vocaſſe facilè cognoſcebam.

Quare in hanc nonnihil inclinabat ſententiam animus, te doctrinam operationum exercitationumq́; Aſtronomicarum accipere me voluiſſe, præſertim cum non neſcirem Ariſtotelem cũ veteribus per Aſtrologiæ nomẽ aut aſtronomiã, aut eã, de qua nuper dixi, ſcientiã intellexiſſe. In hac ſentẽtia me cõfirmabant, primùm quidẽ, quod nullus alius modus, quo Aſtrologia rectè naturalis dici poſſet, reſtare videretur. (Non enim tã iudicare ineptũ te poſſim, vt naturalem te nũcupare ita crederẽ, quomodo Ioannes Indagines quandã confinxit nouã, naturalemq́; vocauit.) Deinde quòd ſupradictas ſignificationes tanquã à tuo propoſito alienas minimè amplexus putareris. Iã enim annos aliquot non ſine laude Matheſin te profiteri ſcio, & in explicatione vſus aſtrolabij verſatum feliciſſimè compertum habeo.

Per aſtrolabiũ concinnè fabricatũ, ſiderũ ortus, occaſus, cõuerſiones, progreſſus, occurſus, cõgreſſus, retroceſſiones, (hæ obſeruatiões aſtronomicæ quædã ſunt exercitationes) deprehẽdi poſſe notiſſimũ eſt. At ex illo ſiderũ poſitu, quẽ aſtrolabij auxilio cõprehẽdimus, de futuris effectibus, quos nõ ſine multiplici vndiq; cõfluẽtiũ rerũ atq; cauſſarũ aſtra

Digitized by Google

hîc pariunt,vaticinari velle,quomodo Aſtrologi ſolent,id iam non Aſtronomicũ porrò,ſed Aſtrologicum fuerit negotium. In hac opinione propterea libens perſtitiſsẽ,quòd te Aſtrologicis fabulis addictum eſſe non libenter credidi.

Cæterùm duo me aliter ſentire propemodum coegerunt. Alterum eſt, quòd te in explicatione vſus aſtrolabij ad quorundam calumnias ex Patribus & hiſtorijs reſponſurum ſcribis. Alterum,quòd Imperatores,Picum, Manardum, Theologos, non aſtrologiam damnare, ſed abuſum duntaxat reprehendere opinaris.Prius interpretabar mollius,ac ſi eos refutaturus videri velles,qui ſententias theologorum,quibus diuinatricem vituperant, ad aſtronomiæ accuſationem malè transferre auſi fuiſſent. Nam etſi neminem ſcirem hoc feciſſe, malebam tamen hoc credere, quàm te aſtrologiæ fidẽ adhibere, cogitare. Poſterius cum quomodo excuſarem non reperirem, diuinatoriam te naturalem putare conieci.

Picus & Manardus,vt præſtantes Philoſophi,futurorum præſenſionem, quam Aſtrologi peſſimè profitentur, damnarunt, & naturalibus viribus eiuſcemodi præſciri nõ poſſe demonſtrarunt.Theologi non abuſum tantum,quod tu te credere ſimulas,potius quàm verè credas,ſed totã Aſtrologiam deteſtantur. Equidẽ ſi rectè examines,nil tibi aliud tota videbitur eſſe,quàm abuſus & ψευδολογία, peſtis animorum, veritati & ſacroſanctæ religioni ex diametro oppoſita ſuperſtitio.Imperatores quoq; idem iudicaſſe, ex eo poteſt intelligi, quòd explicatis minimeq; ambiguis verbis, non abuſum duntaxat (vt tu ais) ſed ipſammet artem reiecerunt, eamq; nec diſci nec exerceri permiſerunt. Sic in Cod.9. tit. de Maleficis & Mathematicis, in l.2. habetur. *Artem Geometriæ diſcere atque exercere publicè intereſt: ars autem Mathematica damnabilis tota eſt & interdicta omnino.* Hîc certè totã interdictam & omnino interdictam lex dicit,nõ abuſum duntaxat prohibitum eſſe, cuius ne mentio quidem facta cernitur.Scire cauſſam cupis? Quia diuinatrix eſt.Etenim paulo pòſt multis diuinandi modis enumeratis, inter quos Aſtrologia quoq; nominatim recenſetur,

Digitized by Google

tur,addit lex. *Sileat omnis in perpetuum diuinandi curioſitas.* Et hanc veram eſſe cauſſam, non aliam, hinc perſpicitur, quòd parem pœnam omnibus ſtatuit diuinatoribus.

Nec reperies magis damnatum auguriũ & extiſpicium, quàm Aſtrologiam. Quinimò de his nullibi dicitur in lege nominatim, omnino interdictas eſſe has artes, quod de aſtrologia expreſſe dictum audiſti. Quamobrem cũ nemo auſit vel dicere vel cogitare nõ Augurium & Extiſpicium, ſed abuſus horum duntaxat vetare legẽ, ne de Aſtrologia quidem rectè affirmari hoc poterit. Imò multò minus dici de hac poterit, quia magis eſt expreſsè in lege dãnata. Lex non aliter Aſtrologum, ſi in comitatu Cæſaris deprehendatur, gladio puniri iubet, atq; aruſpicem. Pro cauſſa ponitur, nõ hoc, quia perperam vſus arte putetur: ſed quia diuinator ſit. Ideo ſomniorum quoq; interpretem, ſi artem occultare diuinandi videatur, lex eadẽ punire præcipit. Taceo quod Conſtantinus ſimpliciter mandauit, vt capite plecteretur, quiſquis aruſpicem aut Mathematicum cõſuluiſſet.

Ex cõmemoratis intelligis ac vides, apertè Aſtrologiam, Aruſpicinam, Extiſpicium, Somniorum interpretationẽ, ſi arte nitatur, ex æquo damnari nõ aliam ob cauſſam, quàm quòd diuinatrices ſint. Sic igitur Imperatores ſtatuerunt: *Omnis diuinandi modus ex cœtu hominum Chriſtianorum exterminandus eſt.* Ergo aſtrologia quoq;. Quippe diuinandi curioſitas hæc quoq; exiſtit. Falleris ergo tu plurimum, qui ex vrbe Chaldæos eiectos arbitraris propter artis abuſum. Non enim ideo pellebantur, quòd Aſtrologia abuterentur: ſed quòd Aſtrologi, hoc eſt, diuinatores eſſent.

Igitur cum Imperatores multi Aſtrologiam ſub graui pœna prohibeant, elegantiores omnes philoſophi futilem eſſe affirment ac probent, præſtantiores omnes theologi execrentur, ſacra Scriptura, hoc eſt, ipſemet Deus deteſtetur: non video ego, quomodo tu vel partium ipſius aliquã, vel totam ſis probaturus naturalem veramq; eſſe. Et quæ ad Theologos & Sacras literas pertinẽt, cùm alibi tum in libello Sauonarolæ, atq; in eiuſdem apologia contra Chriſtophorum Stathmionem Medicum Coburgenſem repe-

Digitized by Google

ries. Hîc philoſophica quædam attingere placet, ne dicere nos tantum multa, nihil verò probare, cogitare nobisque obijcere poſſis.

Aſtrologorum Vaticinia omnia, nec de rebus neceſſariò euenientibus, nec de rebus naturalibus in genere, ſed de particularibus tantum euentibus expetuntur. Ex quo perſpicuè ſequitur, omnia arte carere. Nemo etenim in bonis artibus mediocriter verſatus non videt, illiuſmodi omnia incertam & dubiam habere originem, & nõ magis fieri, quàm non fieri poſſe, ſiue ex eorum eſſe genere, quæ vſitata in ſcholis voce contingentia nominantur. Hæc autem arte rationéue prædici antè nõ poſſunt, quàm vel eſſe iam, vel certè fieri aliquo modo incœperint. Quare neceſſe eſt talium præſenſiones inartificioſas & fortuitas eſſe. Præterea notum eſt, nihil nos futurorum præintelligere, quod non in ſuis cauſſis præuideamus. Nã cum, quæ futura ſunt, intellectum mouere ipſa per ſe nequeant, (quippe nõ ſunt in rerum natura,) conſectarium profectò eſt, talia ne percipi quidem in ſe ipſis poſſe. Etenim intellectus noſter in ſe illa tantum apprehendit, quæ præſentia habet. Hæc verò præſentia non ſunt, quatenus nimirum futura ſunt. Si ergo ea tanquam futura percipit, in ſuis cauſſis, ex quibus conſecutura peruiderit, ipſa percipere eũ prorſus oportet. Nullus eſt modus reliquus futura prænoſcendi arte & ratione, qualem Aſtrologiam Aſtrologi eſſe dictitant quidem, at non probant.

Quanquam verò in ſuis cauſſis futuri quidam effectus contingentes (de talibus ſemper loquimur in præſentia) præuideantur: non tamen in quibuslibet cauſſis cerni poſſunt, ſed tantum in propinquiſſimis, definitis & proprijs. Nam in remotis, indefinitis, & communibus, nihil cognoſci poteſt, quod ſit commemoratione dignũ. In cauſſa eſt, quòd non ab his, ſed ab illis res omnes primo & ſine medio oriuntur: nec vt ſint tantum, ſed vt tales ſint, non alius modi & naturæ, omnino obtinent. Canis non à cœlo, vt tale ſit animal natum ad latratum, ſed à cane generante accipit. Quis dubitet, hominem ſuam naturam, quatenus homo eſt,

mo eſt, à ſuis parentibus adeptum eſſe? Pronunciatum hoc in tota eſt philoſophia probatiſſimum, rebus omnibus hoc à natura ſiue Deo inſitum eſſe, vt ſe propagare, hoc eſt, ſimile ſibi generare velint, ac, niſi per accidens aliquod impediantur, poſſint. De illis loquor, quæ generare poſſunt ac debent. Hac de cauſſa pulchrè ſimul ac verè à philoſophis dictum eſt, generans & generatum in omni vniuoca appellata generatione eadem ſpecie exiſtere.

Quare ſi non in alijs præuideri cauſſis naſcituri effectus poſſunt, quàm in illis à quibus effici generariq; per ſe, non verò per accidens ſolent, fruſtra aliæ conſiderentur. Equidem vix puto quenquam tam eſſe inertem, qui ſe canis generationem in illius cauſſæ actione præuiſurum ſperet, quæ canis naturæ nihil habeat, ideoque nulli eam materiæ communicare poſſit. Nulla enim res, quod vulgò dicitur, alteri dare poterit, quod ipſa nunquam poſſedit. Vnde non ex cœlo, aut apris, aut ouibus, expectamus canes, ſed ex canibus tantum. Illa enim non habent in ſe aliquid naturæ canis, quam communicare alteri materiæ valeant. Quæ cum in omnibus cauſſis remotis, interminatis, communibus, & non proprijs, locum habeat ratio: efficitur omnino imperitè facere illos, qui ex talibus futurorum effectuum particularium præſenſionem venantur. Vt hoc planius perſpiciatur verum eſſe, de ſingulis paulo pluribus agam.

Et primum quidem, quod ex remotæ cauſſæ notitia nō poſſimus euentus particulares, quos multis alijs interuenientibus cauſſis producunt, præſagire, non eſt difficile cognitu. Aut enim mediæ illæ cauſſæ, quæ inter effectum & cauſſam remotam intercidunt, immutabiles & perpetuæ ſunt, neceſſarioque mouentur, cum primum remotior moueri incœperit, veluti in miraculis illis ſpontinis & horologijs affabrè compoſitis cernere licet: aut mutabiles ſunt, nec ſtatim prima mota ipſæ quoq; perpetuo ordine vnoque ſemper modo mouentur. Primum aſſeuerare nullus, puto, volet Aſtrologus. Etenim fatalis iſta

Digitized by Google

cauſſarū connexio,ſiue Stoica neceſſitas veritati pariter & Ariſtoteleæ philoſophiæ, quæ hac in re magno ab omnibus doctis conſenſu recepta eſt, repugnat. Sed & Aſtrologorum placitis plurimum aduerſatur. Putant enim & docent,prudentes homines multa cauere illorum poſſe,quæ ex cœlo ſibi impendere præuiderint. Ac niſi ita res haberet, tunc etiam,cum vera probata fuiſſet, ſcire eam nemo ſapiens vellet. Duplicaretur namq; malum & infinitè maius redderetur, ſi futurum intelligeretur, declinari autem non poſſet.

Deinde tantum abeſt, vt hoc pacto res omnes neceſſariò accidant, vt ne tum quidem prædictio firma ſit, cum effectus iam effici produciq; viſus eſt, vt cùm Philoſophia docet,tum Medicina quotidie comprobat. Non enim, vt, cum poſterius eſt, prius præfuiſſe oportet: ita cum prius eſt,poſterius quoq; fore oportet. Inter factum atq; factum motus intercedit,habitum non neceſſariò,ſed contingenter producens. Quo fit,vt habitus ac finis non ſemper ad præcedentem motum conſequatur.Impediri enim nō poteſt, antequam ad finē præfinitum opus perduxerit. Quæ res in cauſſa eſt, vt plurima incipiant fieri ac naſci, non tamen perficiantur omnino, ſed ſemiperfecta, aut vix etiam inchoata relinquantur. Qui in arte noſtra verſatus eſt, nō habet opus longiore expoſitione.

Quamobrem alteram partem approbare, & medias illas cauſſas mutabiles ſtatuere cogimur.Quo poſito,neceſſarium prorſus eſt,vt operationes earum variè mutari impediriq; concedamus. Ergo qui ex remotæ cauſſæ actione præſagire effectum particularem ex arte volet, eum quot inter hanc & effectum mediæ cauſſæ interuenire poſsint, neceſſe eſt ſcire. Nec hoc ſolum modo, ſed illud præterea ſcire debebit, quomodo vnaquæq; moueri ab alijs poſſit. Demum ignorare eum nō oportebit nihil interuenturum eſſe,quod alicuius harum actionē mutet, impediat, aliterue determinet. Cæterùm cœlū eſſe remotā cauſſam,quod nō niſi beneficio aliarum propinquiorum cauſſarum hæc terrena producat,non debet à me probari hoc loco.

Pona-

Digitized by Google

Ponatur igitur certa aliqua cœli figura, puerum, qui naſciturus mox fuerat, aut naſcebatur, ingenioſum reddidiſſe. Neceſſe eſt vt opera aliarum cauſſarum hoc perfecerit. Ipſa enim cũ ingenium non habeat, non poteſt iudicij atq; ingenij cauſſa immediata cenſeri. Nec poteſt inſtrumenta animæ, cerebri ſcilicet ſpirituumque ſubſtantiam repentè permutare, nulla propinquarum ope cauſſarum. Cum igitur ſciri nequeat, quas, quales, quot numero, interuenire cauſſas alias neceſſe ſit, nec quo pacto inter ſe coire, conſentire, temperariq; eas neceſſe ſit, ad hoc, vt naſcens reddatur ingenioſus, cũ inquã iſta ſcire nemo queat, nec in cœlo deſcriptum reperiat, quomodo quęſo poterit aliquis inſpecto cœlo & cauſſa remotiſſima, de effectu ipſius aliquid coniectare? Cerebrum & ſpiritus ſuam tunc, cum naſcitur puer, temperaturam obtinent, non à cœlo accipiunt. Quare mutari temperiem oportet, ſi mutatur ingenium. At nõ repentè hoc fieri poteſt, ſed tempore admodũ eſt ad eam rẽ longo opus. Neſcitur à quibus id cauſſis efficiatur. Neq; an præſentes vel omnes ſint, vel aliquæ earum, dicere licet. Poſtremò quæ impedimenta ſint apparitura incertum eſt. Ex quibus omnibus apparet, non indoctum modò eſſe, ſed omnino dementem, qui ex remotæ cauſſæ notitia velit talia præcognoſcere. Loquor de illis duntaxat, qui rem & intelligunt, & ad trutinam expenderunt, nec perſuaderi tamẽ potuerunt. Plurimi ne cogitarũt quidem, an fieri talia poſſint nec ne poſſint, quos ego non vitupero, ſed vt conſiderent moneo.

Iam quòd neque indefinitæ cauſſæ cognitio ad futurorum præſcientiam vtilis ſit, non minus promtum eſt videre. Etenim tales paribus viribus vtrumq; contrariorum efficere poſſunt ex æquo, niſi acceſſione ſecundarum cauſſarum determinentur in vnam partem potius, quàm in alteram. Quare non vnum magis contrariorum quàm alterum effecturam talem cauſſam, ex ipſius naturæ actionisq; notitia colligi poteſt, niſi à ſecundis cauſſis circumſcripta determinataq; ad certum effectum producendum cogni-

ta ſit. Quoties hoc ſcitur, tunc iam fieri effectum oportet. Præuidetur igitur non ex indefinita cauſſa, ſed ex definita, & determinata. Exemplum rem illuſtrans tale ſit: Poteſt homo exire domo, & non exire. Nec poterit quiſquam ex natura hominis intelligere, vtrum tali die & hora domi ſit manſurus an exiturus è domo. Quòd ſi voluntatem, quæ libera eſt, à certis accidentibus ad exeundum flecti coniecerit, vt quod pecuniam ſe accepturum ſperet, probabiliter exiturum ad recipiendam pecuniam præuidet, non vt ex indefinita, ſed vt ex definita cauſſa. Nouit enim iam in vtram partem inclinauerit voluntas, quæ ſua natura non huc magis quàm aliò inclinabat. Et quæ determinant voluntatem, ferè ſunt obiecta ſenſuum & intellectus. Hæc vix aliter quàm caſu offeruntur. Vnde perſpicuè patet, arte nulla præſcire nos ex huiuſmodi cauſſæ cognitione, quæ ab infinitis & prorſus fortuitò occurrentibus accidentibus in vnam magis quàm alteram partem inclinatur, particulares effectus vllos poſſe, de quibus aliquid ſcire homines deſiderent.

Eadem atque adeò maior eſt difficultas in communi cauſſa. Voco autem communem cauſſam, quæcunque vnica & eadem facultate res multas variè, vnamquamque ſcilicet pro ſua natura, ſubſtantia, proprietate, aptitudine, poteſt ac ſolet afficere, alterare, immutare. Exemplo ignis declarabo breuiter. Hic vnica poteſtate, ſcilicet caliditate, vno eodemque tempore alia liquefacit, alia cogit induratue, quædam dealbat, nonnulla denigrat, aliqua corrumpit, plurima recreat & confirmat, res certas dulciores, alias amaras, acidas, ingratas, efficit. Hæc omnia vt alia infinita prçterea, quia calefaciendo tantum perficere poteſt, pro naturarum diuerſitate illarum rerum, quas calefacit, communis omnium horũ effectuum cauſſa eſt ac dicitur.

Iam verò quis tam ſit rerum imperitus, qui ſe ex conſidera-

ſideratione naturæ ignis ſolius certum effectum prædicere poſſe cogitet aut ſperet? Igne conſpecto, ſi plumbum inijci videam, atque ab igne plumbum ſolui non neſciam, plumbi liquefactionem præuideo. Si verò nullum adijciatur ſiue apponatur propè ad eum corpus quod liquefieri aptum ſit, aut tale admoueatur, quod ab igne ſolui ego non ſciam, ex ignis conſideratione nunquam præſcire potero, an aliquid tale ſit diſſoluendum ab eo. Ex quibus patet, præter naturæ ignis notitiam duo me præterea explorata habere oportere, ſi certi aliquid tale præuidere cupiam. Primum eſt, vt quid admouendum igni ſit perſpexerim. Alterum vt, quid ab igne pati queat, quod admouendũ præintellexi, compertum habeam. Iſtis ignoratis, nihil præſentire futurum, quod quidem ab igne efficiendum ſit, vnquam potero ex inſpectione ignis. Loquor non de effectu ignis primo, videlicet caliditate, ſed de particularibus alijs, quos per caliditatem in diuerſis natura rebus efficit longè diuerſiſſimos. Hoc enim Ruſtici quoque omnes intelligunt de igne, nimirum ita ipſum omnia per calorem immutaturum, vt mutari natura poſſint, quod communis multorum effectuum cauſſæ proprium munus eſſe præmonuimus.

Quod ignis exemplo valde appoſito expoſitum eſt, de communi qualibet cauſſa, quatenus talis exiſtit, intelligendum eſt. Non enim ex ipſius noticia particularis aliquis effectus præuideri poterit, niſi in quæ actura ſit præcognitum ſit, & quomodo ſingula illorum affecta aptaq; ſint perſpectum, & quidem certò præcognitum ſit. Nam cum, quæ hoc modo à communi cauſſa patiuntur, mutabilia plerunque ſint, & pro varia naturæ ſuæ permutatione, accidentibusque cauſſis alijs, non vno ſemper modo patiantur, prædici arte ne tum quidem aliquid rectè poterit, cum prædicta non ignoramus, niſi talia permanſura non inanibus coniecturis deprehenderimus.

Summa eſt, quia & infinita ſunt quæ à communi cauſſa ex æquo omnia mutantur mutariue poſſunt, & quia eædem res pro diuerſa affectione & aptitudine, quam per accidens adipiſcuntur, diuerſo modo mutantur, non mutari ea hoc modo potius quàm alio quouis, niſi per accidens. At horum nulla eſt ars aut ratio. Quare ex communi cauſſa nihil artificioſe præſciri aliud poteſt, niſi hoc, ipſam in rebus ſingulis, in quas aget, perfecturam, quod pati ipſæ queant, ſiue ad quod patiendum aptæ tum ſint. Mutata verò aptitudine effectum quoq; mutatum iri.

Ergo ſi neque ex actione cauſſæ remotæ, neque indefinitæ, neque communis, futurum aliquid arte præcognoſci poteſt, quis quæſo ex illis cauſſis ſe futura, quæ hîc fiunt, peruidere confidat, quæ maximè ſunt à talibus effectibus remotæ, & omnium communiſſimæ? Minus ſperabit, opinor, vbi præterea maximè indefinitas perſpexerit eſſe, vt non niſi ab infinitis accidentibus determinatæ aliquid tale producere vnquam valeant. Rectè ergo ſuprà affirmaui, particulares iſtos euentus, non niſi in propinquiſsimis & prorſus proprijs cauſſis cerni. Qui in alijs quærit huiuſmodi præſenſionem, credere hoc etiam videtur, intercedentes cauſſas immutabili lege atque nexu inter ſeſe cohærere, vt aliter concurrere mutarique nequeant, ſed prima mota, poſteriores omnes certa & ineuitabili neceſſitate ſimiliter ſemper moueri. Deinde ne ſic quidem proderit ei communiſſimæ iſtius cauſſæ noticia, niſi illa etiam duo præſciat, videlicet per quot & quas medias cauſſas effectus ſit producendus, & an, quod actionem recepturum eſt, adſit, idoneumq; pro tali receptione exiſtat. Quæ cum ſint omnia impoſſibilia, & captum hominis ſuperent, neceſſariò ſequitur, ex conſideratione & inſpectione talium cauſſarum, nihil prædictorum arte præſciri præſagiriq; poſſe.

Porrò ſidera nemo ſanæ mentis homo vnquam negabit, cauſſas horum terrenorum maximè eſſe remotas interminatas & communes generalesq;. Quare neceſſe eſt verum

verum eſſe, ex inſpectione cœli nihil horum prænunciari poſſe. Omnia à ſideribus per accidens, non per ſe, fiunt, ſicut ignis per accidens alia nigra, alia alba, dulcia, amara, facit. Quod vt fiat planius, exponam hoc quoque pluribus, vt quid per ſe cœli efficiant, cernas, & quid per accidens ab ijſdem perficiatur, videas.

Ignem calefaciendo diuerſiſſima opera efficere ſuprà indicaui. Non poteſt autem vlla cauſſa naturalis vnica vi & facultate, (niſi diuerſis fortè vtatur inſtrumentis,) diuerſa producere opera. Vnum etenim vnum ſolum agit ac gignit per ſe, non autem multa genere naturaq; diuerſa ſeu diſparata, multò minus contraria. Ignis ergo per ſe calefacit, accidit autem ei, vt, dum plurima calefacit ex æquo, alia quidem nigriora, alia verò candidiora reddantur. Simili ferè modo Sol calorem in aërem ſpargit viuificum, qui innumerabilium operum longeque diuerſiſſimorum cauſſa exiſtit, quæ certum eſt ab eo per ſe non effici. alijs vitam, alijs verò interitum vno eodemq; adfert calore. Alia liquefacit, alia indurat eodem tempore eademque potentia ſeu virtute. Quæ ſi Solis per ſe opera aliquis exiſtimat eſſe, is plurimum fallitur. Vnum ergo per ſe, vt ignis, facit, ſcilicet calorem nobis ſalutarem largitur. Ab hoc alia bene, alia verò peſſimè affici cum videmus, non in Solem referenda culpa eſt, quaſi per ſe vtrumque efficeret, ſed in naturam earum earum, quas calor attingit.

Quaſcunque iam imaginetur aliquis in ſideribus ſingulis ineſſe vires, (de quo non ſtatui hîc diſputare,) cum oporteat eas rebus cunctis communes eſſe, neceſſe eſt, vt in omnibus rebus vnum aliquid gignant, (vt Sol & ignis calorem,) à quo mox ſingulæ res, pro ſua quælibet natura, ita afficiantur, vt affici apta eſt illarum quæuis. Hoc quod vniuerſis ex æquo infunditur, per ſe à ſideribus manat. Quas autem communis iſte effectus in ſingulis mutationes diſcrepantes & diſpares parit, eæ per accidens à ſideribus generatæ ſunt.

Digitized by Google

Quibus expoſitis perfacile eſt videre, quid ex inſpectione cœleſtium artificioſe prædici poſſit, & quid non poſſit. Etenim quæcunque ſidera per ſe abſque adminiculo ſecundarum cauſſarum efficiunt, ex eorum motu prædici arte poſſunt. Quæ ſecundarum cauſſarum naturam magis, quàm cœli virtutem ſequuntur, talia ex cœlo præintelligi nullo modo poſſunt. Res exemplis patefiet melius.

Sol proprijs viribus generat diem, noctem, æſtatem, hyemem aliasque anni conſuetas & ſtatas mutationes. Perficit hæc ſine ope vllius ſublunaris cauſſæ, ſed beneficio obliqui circuli, in quo mouetur, radios in terram demittit magis minusque rectos, pro loco quem in ſuo circulo obtinet. Hanc Solis actionem nec adiuuare & promouere, nec impedire tardareque res aliqua ſublunaris poteſt. Quæ ergo ſol hoc modo efficit, ex motu ipſius præuideri & prædici poſſunt, multò ante quàm fiant. At hæc non ad Aſtrologiam, ſed Aſtronomiam pertinent. Ergo quo tempore nec incipiat, quo æſtas futura ſit, præſciri poteſt ex Solis motus cognitione. At an ſalutaria hæc tempora futura ſint an morboſa, an calidiora vel frigidiora, humidiora, ſicciora ſolitò, an fructus paritura ſint plures an pauciores, item ſuauiores ne an minus ſuaues atque maturos productura ſint, & quæ his ſimilia ſunt, ad diuinationem pertinet quidem, ſed ex Solis aſtrorumq; motu cognoſci non amplius hæc talia queunt. In cauſſa eſt, quòd neque per ſe neque ſolus hæc efficit ſol, ſed vnà cum alijs cauſſis propè infinitis, aut certè homini non comprehenſibilibus. Intelligo per alias cauſſas, cauſſas propinquiores & proprias.

Per ſe igitur ſol calefacit. At cum ei ſalubres cauſſæ coniunguntur vel inſalubres, non calefacit tantum, ſed ſalubriter vel inſalubriter calefacit. Exempli gratia; Si cum ſolis ca-

lis calore coniungatur ventus ſalubris tempore aliquo anni, non ſimpliciter ſed cum ſalubritate calefaciet. Si is vel non ſit talis, vel frigidus, vel humidus, non tantum calefaciet, tempusque anni certum pariet, ſed vel inſalubre, vel ſolito frigidius vel humidius ſimul vt ſit, non per ſe quidem, ſed per accidens efficiet. Accidit enim vt talis ipſi ventus coniungeretur. Cum per ſe calefacere dico, id volo, calidiorem fieri ſemper, cæteris paribus, aerem, cum ad nos accedit ſol propius. Non neſcio quæ inter ſe philoſophi de modo, quo ſol calefacit aerem, diſputant. At hæc concertatio huc non pertinet. Hîc ſatis eſt ſcire, ſolem calefacere tantum & ſemper per ſe. Quod ſi iam aliter, quàm aliàs eodem hoc tempore aerem calefacit, certum eſt ideo fieri, quia ſecundas cauſſas aliter ſibi habet conſociatas, quam aliàs haberet. Quare cum calefaciat per ſe tantum, cum alijs atque alijs cauſſis ſublunaribus, inter quas ſubiectorum aptitudinem in præſentia connumerare placet, coniunctus aliter atque aliter calefaciat, ex ipſius motu nullus ſupra dictorum & ſimilium effectuum præcognoſci poteſt. Ratio eadem eſt prorſus aſtrorum omnium, quod ad hanc rem attinet. Omnia namque vniuerſaliter ſiue communiter agunt, hoc eſt, generales cauſſæ ſunt eorum, quæ hîc oriuntur & intereunt. Etenim omnia & ſingula ſiue coniunctim ſiue ſeparatim agere putes, omnia hæc noſtratia ita mouent, afficiunt, coniungunt, diſtrahunt, vt pro ſua natura varietateque accidentium quibus ſubijciuntur, moueri, affici, coniungi, diſtrahi, poſſunt.

Si quod dico obſcurius adhuc eſt, quàm vt planè intelligatur, apertiſſimo exemplo planiſſimum faciam, generatione videlicet hominis. Vt enim homo hominem per ſe generat, pulchrum aut deformem non niſi propter adiunctionem aliarum cauſſarum, qua ipſi per accidens & caſu coniunguntur: ita ferè ſol æſtatem, ver, autumnum

per ſe facit, ſalubre aut inſalubre vnumquodque horum temporum non aliter efficit, quàm per acceſſionem aliarum cauſſarum, quæ caſu ipſi coniunguntur hoc magis tempore, quàm alio quouis. Quare ſicut prædicere poſſumus, hominem cum generat, hominem generaturum eſſe, at pulchér ne an deformis futurus ſit, qui naſcetur, non poſſumus præuidere: ita hîc quoque res habet. Vt non eadem omnino ſunt, hominis generatio, &, huius certi talisque generatio: ita non idem dicit, qui à Solis motu æſtatem fieri abſolutè ait, & qui talem, ſalubrem ſcilicet aut inſalubrem, ſterilem aut fœcundam aſſeuerat ab eodem fieri. Illa enim per ſe ab vtriſque fiunt, hæc verò per accidens, hoc eſt propter coniunctionem aliarum cauſſarum accidentalium. Ex dictis huc vſque manifeſtè patet, quid aſtra per ſe efficiant, & quid per accidens hic generent. Patet illud etiam, aſtra non eſſe ex illarum cauſſarum genere, in quibus effectus certus & particularis cognoſci queat. Quibus omnibus efficitur, inanem eſſe & ridiculam Aſtrologiam, quæ ex inſpectione talium cauſſarum futura præſagire docet, ex quibus præcognoſci nullo modo poſſunt. Non video quid ad hæc ſis reſponſurus, cum præſertim ipſis ſenſibus comprobentur.

Nec minus certum eſt prius argumentum, cuius hæc ſumma eſt: Aſtrologorum Vaticinia circa particularia contingentia ſolum verſantur. At talia arte futura præcognoſci nequeunt, antequam fieri iam aliquo pacto viſa ſunt. Ergo inania ſunt & futilia. Futilis igitur ars quæ talia docet. Ac quòd particulares euentus contingentes præſciri ab homine per artem nullam poſſint per ſe notum eſt. Conceſſum etenim teſtatumque eſt doctis omnibus, ea quæ per accidens fiunt aut futura ſunt, quatenus nimirum ita futura ſunt, nullam ſub artem cadere. Sed omnes particulares effectus non niſi per accidens fiunt, ſeu futuri cognoſcuntur, vt indiſſolubilibus

argu-

argumentis demonſtrare facilè poterit. Quid dico argumentis confirmandum eſſe? Tam eſt res per ſe nota & clara, vt ſi declaretur alicui, probationem præterea nullam expectet. Duo igitur hæc probanda mihi intelligo, ſcilicet, Aſtrologos verſari circa particulares effectus, & tales per accidens euenire. His comprobatis, neceſſariò perficietur, Aſtrologorum conatus atque ſtudia vaniſſima & falſiſſima eſſe.

Aſtrologorum conatus circa particularia ſolum verſari, non longa eget probatione. Etenim artifices & ex arte quadam futura præuidere videri deſiderant. Iam conſtat artifices omnes non circa neceſſaria, ſed circa contingentia, & particularia occupatos duntaxat eſſe. Etenim ars omnis habitus eſſe dicitur cum ratione actiuus aut factiuus. Quo fit, vt artifex omnis (tametſi artes habitus ſunt vniuerſalium) circa particulare verſetur. Nam circa vniuerſale neque actio neque factio, vt hoc loco de ipſis diſſerimus, verſatur. Sic videmus omnem Medici actionem non circa hominem, ſed circa hunc hominem, Petrum videlicet, verſari. Aſtrologus quoque non hominem, ſed hunc certum hominem hoc loco & tali tempore natum, felicē aut infelicem fore pronunciat. Qui conſulunt eos, nō quid homini, ſed quid ſibi aut ſuis euenturum ſit ſcire cupiunt. Quæ cum ſint non vera modò, verum etiam ipſiſmet Aſtrologis confeſſa, ſatis oſtenſum eſt, quod primo loco oſtēſurum me receperam, Aſtrologorum prædictiones circa particulares hominum aut vrbium aut rerum euentus occupari.

Ex dictis alterum quoque perſpici poterit, videlicet, per accidens talia euenire omnia. Vnde conſectarium eſt, nec arte nec ratione præſagiri poſſe. Nemo negare poteſt, quin particularia artium ſint ex genere contingentium. Et vt quarundam artium effecta ſeu obiecta, talia non eſſent, quod falſum eſſe conſtat: Aſtrologiæ tamen effecta, ſeu ea, quæ prædicere conantur Aſtrologi, talia negare nequirēt. Ipſimet affirmant, non ſemper, quæ cœleſtia efficere cœperint, euenire, ſed multis modis impediri poſſe, vt ſuprà

Digitized by Google

quoque monui. At verò particularia contingentia per accidens fieri quis negabit? Etenim res quælibet talis fit neceſſariò, qualem ipſam propria proxima & per ſe cauſſa efficit ac producit. Non enim ipſi ſibi ipſe dare aliquid poteſt, cum non ſit. Ab effectrice ſui cauſſa proxima & vera, non id tantum habet vt fiat, ſed illud etiam vt talis fiat.

Hoc quoque ſuprà oſtenſum eſt, res omnes, quòd tales ſint, proximæ & propinquiſſimæ ſuæ cauſſæ debere. Ita nanque hæ cauſſæ ſuos effectus producunt, vt quaſi ſe ipſas in illos transfundant, & ſe totas illis communicẽt, quãtum omnino poſſunt. Non alia ratione ſe ipſas perpetuare immortalesque reddere queunt, quod facere à creatore, cui fideliter obtemperant, iuſſæ fuerunt. Quare nõ multum interſit in propoſita noſtra cauſſa, ſiue per effectus cauſſas, ſiue per cauſſas effectus contingentes & fortuitos eſſe, probare ſtudeamus. Vt enim cauſſa neceſſaria non poteſt producere per ſe & ſola effectum contingentem, ita nec contingens cauſſa vnquam produxerit effectum neceſſarium. Manifeſtiſſima & veriſſima hæc eſſe tunc intelliges, cum me hîc non aliter de hiſce loqui cogitaueris, quã quatenus hi tales futuri, illæ verò tales effecturæ ſint.

Non me latet aliam eſſe rerum quatenus ſunt, & aliam rurſus quatenus futuræ ſunt rationem. Quæ diſtinctio in cauſſis etiam locum habet. Alia earum ratio eſt, cum quatenus ſunt: & alia rurſus, cum quatenus effecturæ tale aliquid ſunt, conſiderantur. Quæcunque igitur cauſſa neceſſariò agit, determinatione nulla indiget, effectumque neceſſariò pro ſuis viribus producet. Quæ autem ab accidẽtibus & fortuitò concurrentibus cauſſis determinatur, antequam agere certi aliquid poſſit, ab ea effectus contingẽter & per accidens talis proficiſcitur.

Sed in præſentia ſatis eſt monuiſſe, particulares effectus, ſi, vt futuri ſunt, conſiderentur, contingentes eſſe, atque adeò à cauſſis produci talibus, nempe contingenter ſic agẽtibus. Quare cum tales non niſi per accidens ſuos effectus producant, certo certius eſt, eos vt tales futuros non antè præcognoſci poſſe, quàm viſi ſint fieri. Porrò vt nihil deſideres

ſideres, aut obſcura hæc nimis eſſe conquerare, tentabo planiſſimè alio modo oſtendere, particulares omnes effectus, quatenus tales ſunt, per accidens tales produci, ideoque præſciri arte nulla poſſe. Loquar autem de illis præcipuè, de quibus Aſtrologi vaticinari ſolent, ex inſpectione cœli.

Quęcunque hîc in terris particulatim fiunt, eorum cauſſæ ſunt vel Fortuna & Caſus, vel Hominis voluntas, vel Natura aliqua particularis. Cœlum vt vniuerſalis & remota cauſſa cum omnibus concurrit ad actionem. De cœleſtib. poſtea, iam de prioribus agendum eſt. Hæ omnes cauſſæ ſuos effectus ſolum per accidens efficiunt. Ergo nihil horum præſciri futurum poteſt. Ac de primis duabus cauſſis nullam mihi tecum controuerſiam fore non temerè ſpero. Equidem Fortunam cæcam hodie quoque omnes fatemur, & ab hac facta dicimus, quorum cauſſam veram nullam inuenimus. Vt Fortuna nil aliud ferè ſit, quàm veræ cauſſæ ignoratio.

Hominis etiam voluntatem per accidens vnum magis quàm aliud facere, minimè ambiguũ eſt. Ariſtoteles cauſſas ratione præditas, vtriuſque contrariorum æquè effectrices eſſe rectè docuit. Nos ex euidentibus & à nobis met edocti ſumus vt verum crederemus. Quis etenim neſcit, voluntatem noſtram indefinitam indeterminatamque eſſe, nec in hanc magis quàm alteram partem inclinare, priuſquam ab obiectis quomodocunque occurrentibus in alteram partem flectatur impellaturque? Hoc qui negat, nihil videt, præſertim cum omnes homines in ſe ipſis, omnibus horis ita rem habere experiantur. Quis enim neget, ſe & domi manere & non manere æquè & poſſe & velle, ſi nulla ei cauſſa occurrat, quæ indicet quòd vel exire ex ædibus, vel non exire præſtet? Has autem cauſſas & cogitationes innumerabiles eſſe, & per accidens incidere, nemo ſanus mente dubitare vnquam potuerit.

Quòd verò Naturales etiam cauſſæ ſuos effectus per accidens & contingenter producant, in philoſophorum ſcholis mediocriter verſatis non eſt obſcurum. Qui ex di-

Digitized by Google

ctis percipere non potuit,ex dicendis perſpiciet. Primùm conſtat,quæcunque hîc oriuntur & occidunt,hoc eſt fiũt, ſingularia eſſe. Deinde cauſſas quoque earum ſingulares eſſe. Impoſſibile nanque eſt,cauſſam vniuerſalem, quatenus talis permanet,nec adiunctione aliarum contrahitur ad hoc,non aliud agendum,effectum particularem gignere. Præterea certum eſt,accidentia ab accidentibus naſci. Ad hæc oculi nobis noſtri teſtes ſunt certiſſimi, indiuidua omnia non modò ab alijs,ſed etiam à ſui generis aut ſpeciei indiuiduis diſtincta eſſe. Poſtremò concedunt omnes, indiuidua, præſertim vnius ſpeciei, accidentibus inter ſe, non verò ſubſtantijs,differre.

Ex recenſitis liquidò apparet,nullam cauſſam inueniri, quæ eodem prorſus modo affecta bis agere,ſeu duos effectus producere poſſit. Si nanque nullis in ipſa qualitatib. ſiue accidentibus mutatis vtrunque pariat effectum, proferet eos prorſus ſimiles.Iam enim à cauſſa,cui aliquid acciderit, indiuiduum aliter affectum produci diximus, vt mox copioſius exponetur.

Non refert hoc loco ſiue cauſſas immutatas dicas, ſiue obiectum in quod illa agit. Satis eſt acceſſiſſe aliquid in hac ſecunda actione, quod in priore non fuerat. Differt enim quod factum eſt iam, ab eo quod prius factum fuit. At hoc eſt accidens, quo inter ſe duo effectus iſti differũt. Sequitur ergo aliter actionem nunc,quàm prius, fuiſſe affectam. Et nunquam ſimiliter prorſus agere cauſſam vllã poſſe hinc perſpicuè apparet. At verò cauſſa,quæ non poteſt agere,vt non aliter atque aliter ab accidentibus quaſi informetur & circunſcribatur, per accidens effectus ſuos tales generat. Quod qui ignorat, is quæ dicta iam ſunt, præ ruditate non intelligit. Nam ſi eadem permanens generaret,hoc eſt,ſi actio ipſius non aliter ab accidentibus cauſſis & qualitatibus terminaretur, dirigeretur, impediretur,adiuuaretur,& tandem circunſcriberetur & coherceretur, effectus ſuos omnes omnino ſimiles neceſſariò gigneret. At hoc eſt impoſſibile, falſumque, & manifeſtæ experientiæ quotidianæ, vt rationem ſileam, repugnat

Qua-

Quare dum varios & diſſimiles effectus produxit, variè ab accidentibus mutatam, effictam, cohibitam, terminatam fuiſſe oportuit. Exemplo pulchrè explicabitur propoſitum negocium.

Hominē per ſe hominis cauſſam eſſe omnino cōſtat. Huius aūt hominis, videlicet Petri, nō homo abſolutè, ſed certus homo, Paulus, exēpli gratia, genitor ſiue effectrix cauſſa eſt. Sicut iā Paulus generat non ſolum quatenus homo eſt, verū etiā quatenus talis homo eſt, nimirū craſſus, robuſtus ingenioſus, callidus, iuuenis, ſanus, &c. ita non abſolutè hominē, ſed certis qualitatibus preditum veſtitumq; hominē generat, vt marem, aut fœminam, pulchrum, aut deformē, diuitem, aut pauperem, claudum, aut integrum, induſtriū, aut ignauum. Dico igitur in Petro conſideranda, primùm quidem, quòd eſt homo, deinde quòd eſt mas, quòd ſanus, quòd pulcher, quòd ingenioſus, &c. Hæc quia toto genere & natura inter ſe differunt, non potuerunt ab vna eademque cauſſa, quatenus vna, per ſe facta eſſe.

At habet omnia hæc à Paulo. Quòd homo eſt, ab ipſo tanquam ab homine per ſe habet, qua ratione ab alijs hominibus non differt. Siquidem neque Paulus generans, quatenus homo eſt, ab alijs diſtinctus eſt hominibus. Quia ergo homo, qua homo eſt, nunquam mutatur; ſimilem ſibi ſemper effectum producit, ſcilicet hominem. At quòd pulcher eſt Petrus, quòd ingenioſus, &c. à pleriſque, imò ab omnibus alijs differt. Quæ cum à generante ſimiliter acceperit, conſtat generantem illis tunc qualitatibus fuiſſe circunſcriptum, quibus talem, non alium, generaret. Atqui per accidens inerant hæ qualitates Paulo. Accidit enim ei, vt, cum generaret Petrum, tales omnes qualitates & circunſtantiæ concurrerēt, per quas poſſet generare talem hominem, non alium, ſiue talibus affectum qualitatibus, nō alijs, quibus videlicet differret à cunctis alijs hominibus. Nam ſi per ſe ipſi adfuiſſent, perpetuò adfuiſſent. Semper ergo aut certè plerunque talem præciſè generaſſet. Hoc autem falſum. Per accidens igitur generauit Petrum, hoc eſt, talem hominem qualis eſt Petrus, non alium. Equidē

Digitized by Google

pulchritudo,deformitas,robur,imbecillitas, &c. accidunt hominibus,non per ſe inſunt cuiquam. Quæ cum non ſine cauſſa orta ſint,neceſſe eſt ab ſimili,hoc eſt, accidentali cauſſa effecta eſſe. Quare accidiſſe neceſſe eſt Paulo generanti talia quædam,propter quæ,qui natus eſt,hiſce potius quàm alijs inſigneretur qualitatibus.

Quòd ſi iam Paulum iterum generare cogites, non generabit hominem in omnibus priori ſimilem.(De tempore non loquor,ſed alijs accidētibus tum corporis tum animi,quatenus ratione caret. Nam de ratione prædita anima hæc vera non ſunt,niſi quatenus pro natura temperaturæ & inſtrumentorum hoc magis modo quàm alio operatur.) Neceſſarium igitur eſt,non iiſdem omnino accidentibus vallatum ſeu circunſcriptum ad generandum acceſſiſſe,aut certè non eoſdem comites habuiſſe. Suprà nanque monui,noſtra non referre ſiue in generante, ſiue in fœmina matre,ſiue in vtriſque mutatum aliquid exiſtimetur. Eundem ſæpius generare ſi cogitaueris, diſſimiles ſemper filios generare cernes. Non poteſt hoc in cauſſam quæ per ſe ipſi adſit,referri. Nā quod tale eſt,ſemper adeſt. Semper igitur aget, & eodem modo aget. Ergo accidiſſe aliud atque aliud,quoties ad generandum proceſſit,omnino confiteri nos oportet,cuius cauſſa iſta in effectibus diſſimilitudo ſiue diſparitas nata ſit. Quia non per accidens, ſed per ſe homo eſt,ſemper hominem generat. Quia autem per accidens talis fuit, cum primò generaret, ſecundò non ſimiliter omnino generauit.Facilè nanque & frequēter mutantur huiuſmodi accidentia, quibus fœtus diſpares gignantur.

Ergo cum à tali,non alia,quapiam affectione cauſſarū́q; coitione vnuſquiſq; generetur talis,qualis eſt,perſpicuè apparet,quēlibet,quatenus talis eſt,per accidens generatū eſſe.Accidit nāq; generanti,dū generaret, vt illo modo non aliter affectus ad generandū progrederetur. Non eſt ſatis ut vir fœcūdus mulieri fœcūdę congrediatur,ſed certo modo & tēpore cōiungi ipſos oportet.Præterea ſanguinē,ſemina, matricē,animos atq; mores,aëris tēperiem,aliaq; innumerabilia

merabilia,quæ ne intelligi quidem,nedum verbis exponi poſſunt,certa quadam ratione, mẽſura & proportione inter ſe concurrere oportet. Niſi enim ita,non aliter,concurrant,aut non generabunt,aut non talẽ fœtum generabũt. Nam pro diuerſo talium concurſu,variari in fœtu accidentia nemo ignorat non rerum naturalium imperitus. Quid vel vnica faciat aëris temperies dilucidè Hippocr.expoſuit in lib.de Aëre, aquis & locis,capitib. 10.& 12.Qui de cęteris ſimiliter cogitabit,nihil fruſtra hîc dictum comperiet.

Ergo ſicut infinitè omnia hæc mutari poſſunt,ita infinita & incomprehenſibilia cernimus indiuiduorũ diſcrimina. Qui de his dubitat,is parum ſe iudicio valere probat. Nam vt cætera mittam,quis dubitet,eundem hominẽ aliter affectos gignere liberos,cum eſt ebrius,valetudinarius, triſtis,iratus,quàm cũ eſt contrà affectus? Certè,vt ab initio dixi,tã ſunt iſta cunctis teſtata & nota hominib. vt non ſine reprehenſione pluribus probare me poſſe arbitrer.

Dicebamus ſuprà,cauſſas naturales & particulares non producere ſuos effectus particulares aliter poſſe,quàm per accidens.Cauſſam afferebamus,quia non niſi indiuiduas, hoc eſt,accidẽtib.inter ſe differentes res gignerent.Etenim reperire non eſt duo vnius eiuſdẽq; ſpeciei prorſus ſimilia indiuidua,multò minus diuerſis in ſpiciebus ſimilia eſſe aliqua poſſunt.At verò ſi non accidẽtibus differrent,ſimillima eſſe oporteret vnius ſpeciei omnia ſingularia.Et accidentium diuerſitas cum ipſis naſcitur.Quocirca neceſſarium eſt,vt vel ipſæ cauſſæ mutatæ ſint,vel alias atque alias qualitates inter agendum comites habeant,hoc eſt, in materiam aliter atque aliter affectam agant,vel vtrunque variatum ſit. Hæc enim ſunt omnis contingentiæ principia. At hæc accidiſſe ipſis certum eſt. Quare accidit ipſis vt diſpares effectus generarent, ſicut exemplo hominis dilucidè declaraui. Generantur igitur talia omnia per accidens. At de talibus ſolis Aſtrologi diuinant, de effectibus ſcilicet per accidens euenturis. Cæterùm hæc arte nulla poſſunt doceri aut comprehendi,vt omnes omnium ætatum docti homines

ſummo conſenſu ſemper cenſuerunt. Quamobrem ſapientiſſimè præceperunt, ne talium præſenſionem affectemus aut ſperemus arte nos conſecuturos. Qui enim artem ſe inuenturum ſperet, per quam, quæ rebus accidens poſſunt, præſentiat?

Cæterùm quærat hîc fortè aliquis, ſi particularia tantū fiant, & præter hæc nihil, hæc autem per accidens omnia fiant, vt expoſitum eſt, quomodo non ſequuntur omnia per accidens naſci, & nullius rei cognitionem ab homine haberi poſſe? Ego mehercle non vereor cum optimis quibuſque philoſophis, & ipſa rerum euidentia affirmare, particularia omnia, qua ſunt eiuſmodi, per accidens fieri, vt eſt declaratum. Verùm hinc non ſequi aio, per accidens omnia fieri, multo minus nullius rei nos ſcientiam aut cognitionem habere. Nam, vt quæ hîc aptè dici poſſent omittam omnia, in particularibus communem quandam eſſe naturam, quæ non per accidens, ſed per ſe fit, ſuprà ſatis clarè expoſui. Homo enim non fit per accidens, ſed talis homo, videlicet longus, breuis, pulcher, deformis, robuſtus, craſſus, infirmus, gracilis, pauper, diues per accidens generatur. Siquidem parentibus noſtris accidit, vt vel diuites vel pauperes eſſent, deformes & pulchri, ruffi, pallidi, &c. dum nos generarent. Homo autem ab homine per ſe generatus eſt, quia qui generauit nos, non per accidens homo erat. Vnde fit, vt quatenus homines ſumus, nullum inter nos diſcrimen inueniatur. Quare homo per ſe generatur, talis autem homo per accidens naſcitur.

Quæ tamen ita intelligi oportet, ſi ad noſtram cognitionem, non ad Dei max. optimique conſilium referantur. Is enim cauſſas illas, quæ fortuitò & caſu nobis conueniſſe cum cauſſis per ſe vocatis videntur, ſuo arbitratu & modo nobis ineffabili imperceptibilique ſic cogit, aptat, iungit, idoneas reddit, vt talem quempiam, non alium, effectum ſimul pariant. Si rem ipſam ſpectemus, non ad noſtrum captum referamus, non dubium eſt, quin pulcher & ingenioſus homo ex cauſſis certo modo inter ſe iunctis per ſe, non autem per accidens, producatur. Et ſi ſemper eo modo,

do,

do,non aliter,omnes coirent, certum eſt ſemper pulchros & ingenioſos producturas eſſe, noſq; tales naſcituros omnino prædicere poſſemus.Quia verò iſta non pertinent ad hominis ſubſtantiam,ſed iam accedunt,mox recedũt, neq; naturali aliqua lege colligata ſunt, fortuita ratione conuenire nobis dicuntur. Nobis ergo per accidens eueniunt,vt qui nulla vi mentis præintelligere quimus, quæ aut quot & quomodo inter ſe concurſura ſint, quæ hoc modo accidunt. Quæ facta iam ſunt, cognoſcere ſæpe poſſumus, cognitis cauſſis ex quibus & à quibus facta ſunt. Non enim quatenus ſunt iam,per accidens ſunt.At eadem,dum futura erant, & ita, quatenus ſcilicet futura adhuc eſſent, conſiderarentur, per accidens vtique nobis futura eſſe verè ac rectè dicebantur tunc, cum fieri nondum incepiſſent, aut incepiſſe fieri nos ignoraremus.

Summa igitur eſt, naturalia, ſi vt verè particularia, hoc eſt,ſuis peculiaribus accidentibus diſtincta ab alijs,& vt futura conſiderentur,per accidens omnia fieri ac naſci. Nam vt à certo aliquo cauſarum cõcurſu effectus quiſpiam per ſe efficiatur, per accidens tamẽ nobis ortum hoc eſſe, quia ſyndrome iſta cauſarum quolibet ferè temporis momento permutetur. Quòd ſi per ſe omnia ſic in principali generante fuiſſent,ſemper in eo permanſura etiam fuiſſe.Sin autem vt communem in ſe naturã habent ſiue eſſentiam, quæ accidentibus priuatis ſubſternitur, aut quatenus iam facta ſunt, cõſiderentur,nihil prohibere,quin & per ſe facta dicamus,& notitiam plurimarum omnino rerum euidentem ac certam habeamus.Præterea quæ nobis fortuita ſint ac dicantur, ſi ad noſtram imbecillem intelligentiam referantur, ea certa ratione omnia & per ſe euenire, ſi ad immenſam & inſcrutabilem Dei ſapientiam reducantur. In quam ſententiam ſcitiſſimè & planè diuinè Hippocrates ſcribit,ἡμῖν μὲν αὐτόματον,τῷ δὲ θεῷ μηδὲν αὐτόματον. Sic philoſophi elegantiores omnes docuerunt. Tales autem appello,qui nec imperiti,nec ἄθεοι fuerunt.

Vtrunq; igitur probatum à me iã vides, Aſtrologos circa particularia præuidenda verſari, & eiuſmodi, ſi noſtræ

cognitioni comparentur, nõ niſi per accidens euenire. An non hinc perficitur concluditurq; neceſſaria ratione, illa omnia preſciri arte nulla poſſe, anteaquam fieri iam & eſſe aliquo pacto incipiant? Dico autem hoc propter Medicos, Nautas, Agricolas, Prudentes viros. Hi enim omnes præſagire futura contingentia rectè dicuntur, quantumuis Vates ſeu diuinatores propriè nec ſint, nec nominari poſſint. Non enim quæ prædicunt, antè futura enunciant, quàm fieri iam obſeruarint, vt alibi expoſitum mihi memini.

Et ſi quis Aſtrologum non prorſus imperitum interroget, qua ratione horum prædictiones præcipuè differāt ab Aſtrologorũ vaticinijs, aliud nõ poterit reſpondere, quàm paulo antè enumeratos viros ex actiõe & inſpectione proximarum cauſſarũ de illis rebus duntaxat coniectare, quas iam fieri aliquo modo cognouerint, Aſtrologos autẽ multò ante quàm fieri incœperint, ex motu ſiderum prædiuinare ſolere. Miror certè eos ne tum quidem ſententiæ ſuæ pudere, cum philoſophos audiunt dicentes, harum rerum præſenſionem antequam fiant, captum noſtrum excedere, omnemq; diuinationem (μαντικὴν vocant Græci) inſpiratione Deorum (ita illi Dæmones, quos colebat Gentilitas, appellabant) fieri. Ac ſunt interim, qui ſe diuinatores ſiue μάντεις eſſe negent, propterea nimirũ, quia prædictam vocem ita vſurpatam bonis autoribus perſpexerunt, vt iam monebam. Verùm enim verò ſi diuinator eſt, qui futura contingentia, non cognitis proximis eorũ cauſſis, præſcire ſe poſſe ex communibus remotis, indefinitis & per accidẽs cauſſis, dictitat opinaturq;, non poſſunt non veri diuinatores eſſe Aſtrologi. Nam ex cœlorũ ſiderumq; motu, ſitu, viribus hariolãtur, cauſſas proximas, à quibus ſingulæ res naturam, formã, operationes, proprietates, & deniq; totũ hoc qđ ſunt, accipiũt, neq; cognoſcũt neq; cognoſcere ſtudẽt.

Satis iam euidenter oſtenſum explanatumq; eſt, etiam proprias & definitas rerum cauſſas hîc nihil generare, niſi variè accidentibus formẽtur & veſtiantur, ſeu circumſcribantur ad talem aliquem effectum producẽdum. Quanto magis hoc in remotiſſimis & generaliſſimis cauſſis fieri opor-

oportet. Falſum ergo eſt, quod ſe ex veris cauſſis futura prędicere gloriātur. Qui namq; cauſſas rerū per accidēs intuetur, & in illis ſe, quæ lōgo pōſt tēpore euentura ſunt, proſpicere inuenireq; credit, is perinde facit, ac ſi cauſſæ rerū eſſent, quas ipſe eſſe credidiſſet, vel eſſe voluiſſet. Sed ad rē redeo. Quia Aſtrologorum omnes prædictiones inueſtigant ſiue prę ſagiunt de rebus per accidēs futuris, (horū autē ars nulla eſt) patet Aſtrologiā nō eſſe artē, quæ, quod illi ſperāt ac optant, præſtare queat. Fruſtra igitur naturalis dicitur, & donū Dei putatur. Nō à Deo, ſed aliunde deliramēta & ſuperſtitiones iſtæ profectæ ſunt, à curioſis & vanis hominibus. Tametſi nāq; à Dæmonibus excogitatas nō negemus, opera tamen talium vti pro ſua conſuetudine voluerunt.

Hactenus duobus argumentis præcipuis vanū & falſum oſtendi Aſtrologorū conatū. Primùm quia eiuſmodi ſcire, antequā fiant, laborioſe ſtudēt, quæ per accidēs fiunt. Deinde quia non in ſuis veris cauſſis futura quærunt. Summam vtriuſq; breuiter iterum repetere libet, quo vel ſic dilucida ſint omnia, & facilius adhæreant. Ac quod ad prius attinet, tam perſpicuè oſtendi, tam apertis exēplis declaraui, & tam copioſè expoſui, omnia quæ hîc fiūt particularia, quatenus talia ſunt, per accidens fieri, vt non auſim aliquid repetere. Explanaui illud etiā, quomodo nihilominus quædam, imò plurima per ſe fiant, cognoſciq; poſſint. Et de talibus nihil hîc amplius. Quēadmodū ne de eo quidē, quomodo Nautæ, Ruſtici, Medici, Prudētia pręſtātes viri, plurima cōtingētia particularia rectè tū præuideant, tū prædicāt. Pręuident enim in ſuis cauſſis veris. Nec hoc modo, ſed tūc ſolum, cū iam fieri quodammodo, aut certè eſſe perſpexerunt.

Illud certum eſt, futura nō eſſe pręſentia intellectui, quatenus futura ſunt. Nō enim ſine tempore homo intelligit, nec ſemel omnia comprehendit mēs humana, ſed aliud ex alio, vel poſt aliud intelligit, ſicut aliud ex alio fit, aut aliud poſt aliud conſequētia quadā nota cōſequitur. Quamobrē ſi quid, cum non eſt, videt intellectus futurum eſſe: neceſſe eſt, vt ex eo quod videt tanquā effectum ex cauſſa naſciturum, aut certè neceſſaria cohæſione ſecuturum peruiderit.

Digitized by Google

Si cauſſam neceſſariò ſuum effectum producere nouerit, certò futurum prædixerit vtriq;. Si in vtranq; partem æquè inclinet,hoc tantum cognouerit, fieri poſſe vt ſequatur effectus, fieri etiam poſſe vt non ſequatur. Quòd ſi cauſſam, quæ preſens intellectui eſt,ſciat nō niſi per accidens effectū ſuum certum proferre,nihil præſciet aliud,quàm varios effectus conſequi poſſe huius cauſſæ actionem, pro vario ſecundarum cauſſarum ſiue accidentium confluxu. Talis namq; ſemper eſt præſcientia,qualis eſt cauſſa eum producens.At contingentia à contingētibus manare cauſſis controuerſia caret. Quo fit vt prædicti artifices ne ex cauſſis quidem illarum rerum, quarum præſenſionem inueſtigāt, antè concludere aliquid poſſint ac velint, quàm producere iam incepiſſe eas obſeruauerint ſuos effectus. Aliàs inepta eſſet omnis ipſorū præſagitio, ſicut Aſtrologorum inepta eſt & inartificioſa.

Sed quoniam ipſos amplis efflare buccis ſemper audio, cauſſas ſe obſeruare, illud oſtendere volui, ipſos cauſſas illorum,quorum præſcientiam ſibi falſo arrogāt,& quorum cauſſa prædictiones à parum cautis expetuntur, omnino ignorare. Nam ſi proximæ indiuiduarum rerum cauſſæ, quatenus vtiq; talem aliquem certum producturę ſunt effectum,homini ſunt incognitæ, nec vi vlla naturali percipi poſſunt, antequam vel produxerint vel iam producāt ſuos effectus, quis Aſtrologos arte cognouiſſe ipſas credat? Sūt enim homines,nec vlla in re cæteris feliciores,imò plerūq; minus ſunt in bonis literis multis alijs verſati & exercitati. Niſi enim ita eſſet,non tanto conatu tantas defendere nugas tentarent. Quare falſum eſt, quod perpetuò iactitare ſolent,ſe ex cœlo prædiſcere futura poſſe arte Aſtrologiæ.

Nō nego hîc,quod ſuprà declaraui,cauſſas per ſe & proximas plurimarum in natura rerum, vt canis, hominis, pyri, mali, & ſimilium cognoſci. Hoc dico, non cognoſci quibus accidentibus circumſcriptæ generent, vt talem quempiam, non alium, effectum conſecuturum ſuſpicari conijcereq; valeamus. At talia præſcire prædicereque ſe poſſe dictitant Aſtrologi, beneficio Aſtrologiæ ſuæ. Hominem

ab ho-

ab homine, canem à cane, & quidem venaticum à venatico, pira à piris generari omnes norunt. Nemo certè talia ſciſcitetur ab Aſtrologo, vti nec an meſpilus meſpila producat. Hoc deſideret aliquis præuidere, & Aſtrologum percunctetur fortaſſe, vtrum pirus multa ſui generis pira hoc anno ſit productura an non, magna an parua, bene matura ſint futura an nō, an grando illis ſit incommodum allatura vel non, & quæ huius generis alia dici poſſunt. At per accidens à piro fieri conſtat, quod vno anno paucos, bonos, coctos: alio autē multos, malos crudos, &c. fructus producit. Quippe accidit ei cauſſa talis (aut ipſi aut materiæ) propter quā multa vel pauca, magna vel parua, &c. profert. Sed hæc ſuprà ſunt declarata. Ad rem igitur. Concedo, inquies, futura, quæ ſunt talia, non poſſe aliter quàm in ſuis cauſſis proſpici. At Aſtrologos cauſſas neſcire nego. Norunt enim ſiderum varios congreſſus, à quibus talia efficiuntur. Reſpondeo, ſidera vniuerſaliſſimas cunctarum rerum communes eſſe cauſſas, ideoque non vnam rem magis quàm aliā quamuis, quod ad ipſa attinet, producere. Vt enim per ſe ſola nihil horum efficiunt, de quibus ſermo & diſceptatio nobis fuit inſtitua, ita cum ſecūdis cauſſis quibuſlibet, perficiunt ac generant quælibet. Si in illis cauſſis, quæ ſunt rei producendę quaſi continuatæ & proximæ, & ad certum determinatumq; effectum producendum à natura factæ, præuidere futura nequimus, quomodo quæſo in illis perſpiciemus, quæ omnia cum omnibus efficere debent, per ſe ſolas nihil talium generant?

Res omnes verè ab illis cauſſis profectæ generatæq; dicuntur, quæ ſuam cuique eſſentiam, ſpeciem ſiue naturam contribuerunt, & ſe ipſas rebus generatis communicarunt. Quæ autem omnia æquè mouent, omnibus eædem ſunt, & omnia talia efficiūt, quales intermediæ ſunt cauſſæ, quæ in agendò concurrunt, illæ inquam prorſus per accidens particularium cauſſæ exiſtimandæ ſunt. Equidem inter actionem ſiderum, & effectus, qui hîc in terra fiunt, cauſſas alias innumerabiles, hominiq; incomprehenſibiles per accidens interuenire nemo ignorat. At hæ omnes vt effectus

Digitized by Google

vel fiant, vel non fiant, aut certè tales, non alij, fiant, perficiunt. Si inter hominem generantem & eum qui generatur tam multæ intercidunt cauſſæ actionem generãtis adiuuantes, impedientes, terminantes, & huc non aliò dirigentes, quot putabimus inter hanc generantem atq; coelum interuenire? Multò ſanè plures quàm quiſquam noſtrûm aut intelligere poſſit, aut cogitet. Tales igitur cum lege nulla certa naturali inter ſeſe cohæreant, ſed fortuitò concurrant, ſi noſtram intelligentiam conſulas, ſapienter philoſophi proximas & per ſe cauſſas intuendas propoſuerunt. Quod ſi natura cohærerent, nec temerè ita conuenirent, vel ſemper vel plerunque ſic coirent. Quo poſito, effectus ſemper aut plerunq; omni ex parte ſimiles producerentur. Quod hoc teſtimonio mentis, atq; omnium quoq; ſenſuum iudicio falſum ſit, ac nunquam aut omnino rariſſimè eueniat, nemo neſcit.

Rectè ergo ijdem ſapientes philoſophi, diuinationem ſuis Dijs, cum verum Deum ignorarent, adſcripſerunt. Facilè illi perſpexerunt, ab eo tantum præuideri talia poſſe, qui cõcurſum illum cauſſarum accidentalem perſpiceret, imò qui hoc non alio modo cogere eas poſſet. Quod verò non vlla creatura aut videat, aut cogere poſſit, certum eſt. Quare reliquum eſt, vt Deo opt. max. ſoli hoc tribuamus, cui etiam ſoli conuenit. Huius ergo gloriæ & honori tantum detrahunt tum Aſtrologi tum alij *Diuinatores*, quantum præſcientiæ futurorum ſibi arrogant. Ex quibus euidenti & neceſſaria prorſus ratione concluditur, tam non eſſe Aſtrologiam aut Naturalem aut Donum Dei, vt Deo maximè aduerſetur. Vale feliciſſimè.

Anno 58. prid. Palmarum, Fracoforto ex Nundinis.

AD

AD EVNDEM.

Epiſtola XI.

LITERAS tuas Non. Auguſti ſcriptas,ego hîc 18. Calend. Septembris accepi, attenteq; perlegi. Sic enim ſentio,quod de Aſtrologia tu aliter ſentis atq; ego, id amicitiæ noſtræ, quæ mutua multorum annorum beneuolentia plurimum creuit, rationes perturbare non debere. Non enim poſſumus eadem omnes aut videre aut ſentire, ſed alijs aliud pulchrum iucundumque videtur. Spero te eodem in me, quo ego in te,animo affectum eſſe. Id vt crederem, vel hoc mihi perſuaſit,quòd te apud cõuictores tuos, magna contentione defendere, librum à me editum, conatum fuiſſe ſcribis. Pro quo tibi officio gratias meritò ago.

Scribis deinde, poſſe te vltra tres ſignificationes huius vocis, Naturalis, à me poſitas, ſeptem aut octo alias apud viros doctos,imò apud Hippocratem atq; Galenum oſtendere. Hîc ſanè attentionem atq; diligentiam in te requiro. Neq; enim mihi propoſitum fuit, ſi non me fallit memoria, in literis illis meis oſtendere, quomodo hanc vocem authores vſurparint,ſed quot modis de Aſtrologia diuinatrice rectè dici quiret. In Hippocr.& Galeni lectiõe aliquot iam annos verſor, nec obiter ſolum obſeruaui, quàm multiplex eſſet horum nominum, Naturæ, & Naturalis, vſus. Illo autem tempore hoc tantum quærebam, quot modis poſſet Aſtrologiæ rectè adhiberi. Cumq; ex tribus modis, quibus naturalis appellari poſſe videretur,nullus ei conuenire poſſet,nec alius tunc mihi modus occurreret,ſicut ne nunc quidem occurrit,ignorare me ſcripſi,quid aut quam artem tu naturalem Aſtrologiam appellares.Et iam quoq; me non poſſe (tu malè ſuſpicaris me nolle) intelligere, quid per naturalem Aſtrologiam tu intelligas, ſi non ſub aliquo enumeratorum modorum continetur,libenter fateor. De quarto namque ne cogitare quidem debui, quaſi de eo tu loquereris.Quæ motus obſeruat, coniunctiones,

oppoſitiones ſiderum notat, magnitudines metitur, & huius generis alia conſiderat, eam nemo cum τῇ μαντικῇ eandem eſſe putauit. Rogo igitur te pro noſtra amicitia proq; tua humanitate & eruditione abſq; omni ſimulatione, à qua me ſemper alienum fuiſſe noſti, vt ſi alium tu modum nouiſti, eum vt mihi indices.

Scribis poſt hæc, quæ mihi de Ente per accidens, contingẽtibus, & cauſſis propinquis ac remotis ſcripta ſint, à nullo Aſtrologo, quod quidẽ tu ſcias, negata fuiſſe, nec Aſtrologiam ea infirmare iudicas. Quî hoc quæſo? An non eſt vera hæc ratiocinatio?

Quæ Aſtrologi ſe præſcire & prædicere ex arte ſua poſſe credunt, antequam eueniant, per accidens omnia futura ſunt.

At quæ per accidens futura ſunt, arte nulla præſciri poſſunt. Eorum etenim quæ per accidens fiunt, ars nulla, & ratio nulla eſſe poteſt. Ergo,

Nihil eorum omnium, de quibus Aſtrologi diuinant, ex arte futurum præſciri poteſt.

Non ex his conſequetur, Aſtrologiam vanam & inutilem eſſe? Quid hic reprehendis, maiorem ne, vt Logici appellant? At ne Scepticus quidem negauerit ipſam. Minorem negare ſimiliter non põtes, cum in ſuperioribus literis à me probata ſit, ac tu veram illã eſſe confeſſus hic ſis. Quo pacto ergo ſuum Aſtrologia retinet vſum, ſi tota inutilis, vana & falſa exiſtit? Breuius colligam.

Per accidens futura, nec arte nec ratione præſciri poſſunt. Aſtrologicæ omnes prædictiones circa effectus per accidens euenientes verſantur. Ergo,

Aſtrologicarum prædictionum ars nulla eſt, ſed inartificioſæ omnes ſunt & falſæ.

Conuerte iam rationem & à cauſſis ſumito, hoc vel ſimili modo.

Cœleſtia omnes effectus, de quibus Aſtrologi diuinare ſolent, per accidens efficiunt ſiue generant. Per accidens dico, non vt cũ dicimus, obſtructionem febrem interdum generare per accidens, quia per interuenientem putredinem

nem mediam eam generet, ſed ita, vt cum vulneratum aliquem dicimus, vel quia manè de lecto ſurrexerit, vel quia domo exierit.

At ex talis cauſſæ notitia, nulla eiuſcemodi effectuum præſcientia artificioſa haberi poteſt. Quinimò ne cognoſci quidem tales cauſſæ, quatenus ſcilicet certum iam producere aptæ ſunt effectum.

Nulla ergo poteſt ex aſtris haberi artificioſa præſenſio illarum rerũ quas ab aſtris fieri Aſtrologi fabulãtur, Aſtrologia ergo ars non eſt. Vana itaq; & putida fabula eſt.

In ſuperioribus literis, ſi rectè memoria teneo, effectus quoſdam à cœleſtibus per ſe naſci, non per accidens, oſtendi, quos hîc excipere non fuit neceſſe. Tales enim ſuo ſemper tempore eoq; ſtatuto & neceſſario, non autem per accidens eueniunt. Siue hãc ſiue illam rationem magis probes, parum intereſt. Vtraq; certè quod propoſitum eſt, perficit, & in ſuperioribus ambæ ſunt perſpicuè euidenterq; comprobatæ. Aſtrologicas fabulas ita euertunt, vt vix alijs ſit opus argumẽtis apud non ignaros veritatiſq; amantes. Ex Ariſtotelis principijs deſumtæ ſunt, & nullum tu philoſophum Aſtrologiam damnare dicere non es veritus. Sic vides te mea vel non attentè perlegiſſe, vel non ſatis quid vellem percepiſſe.

Quòd me Aſtrologos ſcribis hæreticos, diabolicos, condemnatos appellaſſe, in eo parum amicè mecũ agis. Nam in parte libri, quam ego addidi, nuſquam, opinor, hæc reperies. In huius fine, vbi de origine Aſtrologiæ quædã ſcripſi, auxilio Dæmonum inuentam, promotam, auctam, confirmatam aio, & eoſdem Aſtrologis inſpirare interdum futuri aliquid, (opinione hominum, non ſimpliciter futurum, niſi ipſi hoc facere decretum habeãt, perficereq́ poſſint) ex authoritate D. Auguſtini affirmo. Idem hoc ſi ex propria dixiſſem authoritate, conuicium tu nominaſſes? Sic arbitror, at non rectè tamen. Etenim quotidie omnes experimur, callidiſſimos hoſtes noſtris ſenſibus ſe miſcere, multa inſinuare, ad ſcelera nos mouere, ſæpe etiam permouere, &, quod maximè eſt miſerandum, diuini verbi ſemen

Digitized by Google

ex animis interdum eripere teſte grauiſſimo ipſomet Chriſto. Attamen ex his nō conficiatur rectè, nos hęreticos, diabolicos, cōdemnatos ſtatim eſſe. Inanis ergo eſt hæc ratiocinatio. Eraſtus ex Auguſtino ait, Dæmones nonnunquam Aſtrologis futura inſpirare: ergo habet eos pro condemnatis, hæreticis, & diabolo deditis hominibus. In priore libri parte, Sauonarolæ ſenſum expono & verba interpretor.

Parem negligentiam arguit, quòd parum habere eruditionis librum aſſeueras. Si de ea parte intelligi vis, quæ adiecta à me eſt, facilè tibi aſſentiar. Nō enim præcipuam mihi eruditionem vnquam arrogaui. Hoc verè de me affirmare poſſum, me veritatis amantiſſimū & ſtudioſiſſimum ſemper fuiſſe. Hac in parte nemini facilè ceſſero, in alijs cū nemine temerè certauero. Si verò de Sauonarolæ libello ita ſentis, vide ne ſtudium tuendæ Aſtrologiæ, vt hoc diceres ac ſentires, impulerit. Vtinam hominis eruditionem non dico ſuperare, ſed exæquare nos valeamus. Cogitare etiā debebas, vtrumq; idiotis & vulgaribus ſcripſiſſe, quos ne illa quidem, quæ ruditer explicata ſunt, intelligere ſatis poſſe ex eo perſpicio, quòd ex illis quoq;, qui operam aliquam bonis literis nauarunt, non omnes firmamenta illius libri percipiunt. Cur igitur tantam in ipſo eruditionem deſideras, in quo nimia potius diligentia reprehendi queat? Vulgaribus ſcriptus eſt, non doctis, præſertim cum Picum hi legere poſſint, quem de præſenti controuerſia doctiſſimè ſcripſiſſe, tu quoq;, cum aliter facere non poſſis, concedis. Hunc ſi tu aliquando attentè legiſſes, vt argumentorum quæ in eo leuiſſima videri poſſint, firmitatem intellexiſſes, non te patronum abſurdiſſimæ cauſſæ conſtituere voluiſſes. Si viri doctiſſimi ſcripta, qua oportet diligentia non expendiſti, imprudenter ſanè aliquid in Aſtrologiæ patrocinium ſcribes, priuſquam an ruinoſa ſint ipſius fundamenta nec ne, diligentius exploraueris. Quanquam ſi vel hunc ipſum libellum, vt Picum ſeponam, diligenter perpendere voles, videbis talia in ipſo argumenta contineri, quæ arte nulla labefactari ab Aſtrologis poſſint, ſiue doctum putes ſiue indoctum.

Maio-

Maiorem modeſtiam decere Chriſtianos homines in quæſtione dubia,neſcio cur dicas. Nam nec immodeſtius quàm hominem Chriſtianum & pium decet, quicquam ſcripſi, nec dubiam quæſtionem tractaui. Niſi dubium id voces, quod non omnes magno animorum cōſenſu comprobant. Hoc pacto vix aliquid in rerum natura non dubium reperias. An tu incertum eſſe ais, vtrum Aſtrologia falſa ſit & impia? At Deus max. opt. damnauit. Prophetæ impiam eſſe docuerunt. Sacræ ſcripturæ interpretes à Religione alienam iudicauerūt. Philoſophi futilem comprobarunt. Imperatores ex hominū ſocietate exterminandam cenſuerunt. Ratio inanem & putidam demōſtrat. Senſus falſam eſſe oſtendunt. Quid dici poteſt amplius? Patet te libellum & meas literas parum diligenter legiſſe & conſideraſſe. Partem huius, quod dixi, aliquam certè vidiſſes, ſi totum peruidere nequiuiſſes.

Quod mox viros quoſdam doctos & claros,imò meum Principem me condemnare addis, te non ſine perturbato animo hæc ſcripſiſſe oſtendit. Quem ego Principem condemnem ipſe videris. Ego librum in vtriuſque principis mei nomine prodire volui in publicum, ipſis ita volentibus. Perlectus illis eſt antea, quàm in publicum veniret. Quare quid tibi velis non video, niſi de hoc Principe, ſub quo nunc ago & viuo, intelligi velis. At cum illum librum ederem,hic mihi Princeps planè erat incognitus, & ne nunc quidem ſcio quid hac de re ſentiat. Quomodo ergo me condemnare ſcribis, de quorum ſenſu nihil conijcere potui. In vtilitatem & vſum vulgi,non in condemnationem editus eſt. Vnum hoc ſpectaui, vt idiotas à vanitate ſuperſtitioſa abſtraherem & præmonerem,ne tam facilè ſibi ab Aſtrologis imponi paterentur. Certè plurimum impediunt iſtæ fabulæ Medicorum conſilia & ſtudia,cum rectè mederi volunt.

De doctis quos me condemnare ſimiliter ſcribis, nihil affirmare certi poſſum. Si aliqua in re, & in hac ipſa quoque, errent, nihil mirum. Homines enim ſunt, quos in

omnino multis errare omnes conſtat. Errauit Ariſtoteles, Auguſtinus,alij.Erro & ego in plurimis,& admonitus quotidie non erubeſco errata corrigere. Vtinam verò ſint, qui multos mihi meos errores cõmonſtrent. In hac me cauſſa non errare certò ſcio. Nihil eſt ab omni parte, vt Horatius rectè ſcripſit, beatum. Ideo autem veritas explicanda non eſt,quia clariſſimi viri eam alicubi non vident, aut nõ probant,quamcunq; ob cauſſam id faciãt? Statim ne, qui eam patefacere tentarit,damnare illos exiſtimetur? Quid ſi errare eos neſciat? Sic potius cogitandum eſt, nullius quantumuis clariſſimi hominis autoritatem veritati præiudicare debere. Certum eſt illos, qui non argumentis, ſed hominum pręſtantium authoritate aduerſarios premere ſtudent,aut non ſatis intelligere concertationem, aut malam defendere cauſſam. Quid opus erat tibi iſta mihi obijcere, dum intacta relinquis argumenta quæ produxi? Vbi ad illa reſponderis,non deerit,quod obijciamus præterea.

Huius generis illud etiam eſt, quod ſtatim addis: *Habes aduerſarios, ſcribas ipſis, vt relinquant artem diabolicam, &c.* Neminem aduerſarium,quod ſciam,habeo, qui non & veritatis,(quam defendendam contra ineptos quoſdam,prouocatus, ſumſi,) quoq; ſit hac in parte aduerſarius. Intelligo ergo aduerſarium in hac cauſſa eſſe, qui aduerſum me ſentit,meaq; oppugnat, quæ vera eſſe reputo, quantumuis in cæteris ſit amicus. Ex horum numero tu quoq; vnus es tandem factus,idq; pręter meam opinionem.Inter primos eſt Chriſtophorus Stathmion, qui publicè priuatimq; noſtra oppugnare parum feliciter & ſcitè tentauit. Literas Deo volẽte cum occaſionẽ nactus fuero edam, quo multi videant,quales habeat Aſtrologia patronos. Ad publicum eiuſdem ſcriptum iam pridem reſpondi, at propter certas cauſſas nondum edidi.Tunc edam,cum quorundam refutatio apparuerit. Nam Princeps meus nuper mihi Schleuſinga ſcripſit, aliquot Doctores ſiue doctos quodam in loco conueniſſe,deq; refutando libello deliberauiſſe.Scriptũ hoc magno ſanè deſiderio expecto, vt vno labore vtriſque ſatisfaciam. Qui ſint ignoro, nec ſcire laboro: ſed hoc illis

Digitized by Google

ex animo opto, & meliora, quàm Stathmion, promãt, quibus vel doceri vel certè exerceri poſſim.

Quod nullũ philoſophum Aſtrologiam damnaſſe opinaris, in eo plurimum deciperis. Nullus etenim clarus extitit philoſophus, quod quidem ſcire hactenus quiuerim, qui ipſam probarit, præter paucos Platonicos, qui & ſuperſtitioſiſſimi & ſummi præterea dæmonum cultores fuêre. Inter hos Porphyrius numeratur, qui ſæpe tamen in diuerſam abijt ſententiam, & prædictiones ex cœlo mendaces eſſe affirmauit. Ex Pariſienſibus vix vnus atq; alter patrocinium ipſius ſuſcepit. Patres hanc *μαντικὴν* nunqnam probarunt, Aſtronomiam verò meritò plurimi commendarunt. Quo fit vt mirer, quòd tu rem cõtrà habere affirmes. Quanquam negare ita non potuiſti, quin aſſerueris, multos ex patribus aſſeuerare à Dæmonibus excogitatam traditámue eſſe Non abuſum, vt tu malè iudicas, damnarunt hi omnes cum Imperatoribus, vt nuper expoſui, rationibusq; confirmaui. Non enim temerè aliquid abſq; ratione, quod Aſtrologorum penè proprium eſt, aſſeueranter affirmo. Librum me indignum ais eſſe, propter cõuicia, & quædam in eo malè collecta, & quòd parum ſit eruditus. Si vera ſunt, quæ in eo docentur, me dignus eſt, tametſi ineruditus ſit. De conuicijs iam ſatis multa.

Docti quidam, inquis, *ægerrimè tulerunt argumentationes & conuicia.* Qui ægrè ferunt tales argumentationes, hanc nauent operam Reipub. vt falſas eſſe oſtendant. Magnam ſanè apud omnes bonos, pios & doctos laudem merebuntur hoc facto, meq; immortali ſibi deuincient beneficio, quòd me ab errore liberauerint. Si id facere non poſſunt, me certè non mouere aut ab inſtituto retrahere debebit, quòd aliqui veritatem publicè proponi grauiter ferunt. Si Aſtrologos alicubi ineptos & imperitos appellaui, optimo iure feciſſe cenſeri poſſum. Etenim dum dogmata eorum & præterea argumenta, quibus ea defendere fruſtra laborant, inepta eſſe doceo, nõ video quomodo nõ ipſos quoq; ineptos verè dicam. Qui me mendacium docuiſſe probauerit, is me illa in parte mentitum aut mendacem fuiſſe ſi

dicat, non magnopere iniuriam mihi feciſſe cēſeri poterit.

Ad extremum iterum te hortor, ne temerè Aſtrologiam publico præſertim ſcripto defendere coneris. Illi, de quibus ſuprà memini, arma iam, copias, omnisq; generis προβλήματα, communicatis inter ſe conſilijs, ſtudijs, operibus, expedire dicūtur. Horum apparatum, vires, animos, pugnandi peritiam, & demum ipſius pugnæ euentum obſeruare ſecuro tibi licebit. Cumque operam eos nauare vtilem & bonam conſpexeris, prodire, & profligatas iam noſtras copias ad internecionem delere poteris. Si autem fruſtra eos tentaſſe pugnam, infeliciterq; manus conſeruiſſe cognoueris, illorum periculo cautior factus, id conſilij, quod eſſe optimum atq; ſaluberrimum iudicaueris, capies. Non ſcio an candidè magis tecum agere, tibiq; conſulere quiſquam aut velit, aut poſſit. Vale feliciter. Anno 58. Heidelbergæ.

AD EVNDEM.

Epiſtola XII.

AD diem Cal. Octobris literas tuas 20. Septembris iſtic à te ſcriptas, recepi. Quas cū longiuſculas cernerem, maiore voluptate ſimul atq; attentione perlegi. Sperabam me explicationem aliquam illarum rerum, de quibus ad te iam antè verboſius ſcripſiſſem, in ipſis inuenturum. Cum nō ſemel perlegiſſem, nihil aliud inde percepi, quàm quòd vidi, te mea minus diligenter legiſſe, nec tua quoq;, qua ſoles, induſtria elaboraſſe. Reſcribā ea tantùm, quæ rectè præterire nō potero. Sequar verò tuam narrationem, niſi cum diuulſa reperero cognata membra, vt ſingula ſingulis conferre promtius ſit.

Ex priuatione & negatione cum me argumentari ſcribis, non te intelligo, niſi id velis, quod poſtea dicis, me, quia tres ſignificationes vocis, Naturalis, Aſtrologiæ conuenire nequeant, concludere, nullam ei conuenire. Sed de hoc poſtea ſuo loco. Excuſare quoquo modo cupis quod ſcripſi, te immeritò me reprehendiſſe, quia tria tantum ſignificata dictio-

dictionis,Naturalis,enumaraui,ſed fruſtra. Quocũq; enim modo tu de Aſtrologia ſcripſeris, verũ ſemper hoc eſt, me non habuiſſe in illis literis propoſitum docere, quomodo ea vox bonis authoribus vſurpata ſit,ſed quot modis Aſtrologiæ tribui poſſet,inueſtigare voluiſſe.Vides iam,puto,me non torquere tua in alienã ſententiam,duriusq; tua interpretari.Hoc niſi dixiſſes,præteriturus hæc fueram.

Putas me in primis meis literis probare voluiſſe, Aſtrologiam non eſſe naturalem, hoc modo: Tres ſignificationes vocis huius,Naturalis,non conueniunt Aſtrologiæ,ergo non eſt naturalis. Mihi tum id nõ venit in mentem,qui hoc ſolum inquirere volebam, quid per naturalem Aſtrologiam intellexiſſes.Nõ enim certò ſciebam,an iudicialem illam totam, vel aliquam ipſius partem ita vocares. Nondum perſuaſum mihi erat, te Aſtrologicis fabulis fidẽ habere.Diuinatricem Aſtrologiam,non vt tu putas,ſed his rationibus non naturalem eſſe probaui, nempe quia ſacræ literæ vt falſam,impiam & impoſſibilem damnent,& ratio futurorum præſcientiam, qualem ipſa pollicetur, ſupra captum humunæ mentis eſſe conuincat.Rationibus,quas tu refellere nunquam poteris, & veras eſſe iam antè faſſus es, demonſtraui. Principia & fundamenta,ſuper quæ extructa eſt,& ex quibus ſuas deducit concluſiones, ruinoſa, falſa & inania eſſe docui.

Iam ad ratiocinationis meæ refutationem deſcendo, quæ his verbis à me propoſita fuit, vt rectè eam tu hîc repetis.

Quæ Aſtrologi ſe præſcire & prædicere poſſe ex arte ſua credunt, antequam fiant, per accidens omnia futura ſunt.

At quæ per accidens futura ſunt, nulla præſciri poſſunt arte.

Nihil ergo eorum omnium, de quibus diuinant Aſtrologi,præſciri ex arte futurum poteſt,antequam fiat.Ad hæc tu ita, in nulla eſſe diſpoſitione hanc ratiocinationem, ad quod cõſectariũ ſit,vitioſam eſſe. Probas autẽ in nulla eſſe figura, quia medium neq; ſubijciatur in propoſitione & in

aſſumtione fiat attributum, neq; ſit attributum in propoſitionibus ambabus, neq; in vtraq; ſubijciatur.

Quid ſi Medium ſubijci in propoſitione & in aſſumtione attributum fieri tibi commonſtrem? Nō negabis arbitror tunc, in prima diſpoſitione rectè me collegiſſe. Hæc mea eſt concluſio.

Nulla prædictio Aſtrologica eſt artificioſa, ſiue ex arte procedit, vel quomodocunq; loqui libet, modò ſenſus permaneat idem. Voco prædictiones Aſtrologicas, Aſtrologorum ex ſiderum obſeruationibus deſumtas hariolationes. In hac concluſione Minor terminus eſt, Prædictio Aſtrologica. Maior, Non eſt artificioſa. Semper enim concluſionis ſubiectum Minoris termini in omni ſyllogiſmo: Prædicatū verò eiuſdem, Maioris rationē obtinet. Iam Medium quæramus, qui eſt, per accidens fieri aut futurum eſſe. Vbi ergo dico, Quæ per accidens futura ſunt, arte nulla præſciri poſſunt, Medium ſubijci Maiori termino vides. Erit ergo hîc propoſitio ſiue Maior. Deinde in primo loco poſita propoſitione, hac ſcilicet, Quæ Aſtrologi ſe credūt ex arte prædicere poſſe, omnia per accidens futura ſunt: hîc inquam idem medium attributum factum vides Minoris termini. Erit igitur hæc Minor propoſitio ſiue aſſumtio, quantumuis primum locum occupet in meis literis. Quid igitur reprehendis?

Ego non ad locum propoſitionum, cum autores lego, ſed ad concluſiones reſpiciendum mihi didici, vt quo in loco Maior, & quo rurſus loco Minor poſita ſit intelligam. Vbicunq; enim Medius terminus cum Minore, ſiue concluſionis ſubiecto reperitur, ibi aſſumtio eſt ſeu Minor propoſitio. At vbi idem Medium cum Maiore termino, ſiue cōcluſionis prędicato ponitur, ibi ꝓpoſitio ſiue Maior poſita eſt, ſiue primo ſiue medio ſiue vltimo loco reperiatur collocata. Nec refert ſiue prædicetur Medius, ſiue ſubijciatur cæteris duobus terminis. Semper enim hoc verum inuenies quod dixi. Cum iam præterea ſcire volumus, in qua diſpoſitione ſeu figura ſyllogiſmus collocari debeat, conſiderare oportet, quomodo vel attribuatur vel ſubijciatur duobus

Digitized by Google

duobus in concluſione inuentis terminis. Perſpicis iã,opinor,non fuiſſe tibi opus vt admoneres me,ne in argumentando Dialecticorum & Philoſophorum rationes negligã.

Quæ hîc interſeris vt Aſtrologiam naturalem eſſe probes,poſtea examinabuntur, vbi quæ de eadem hac mea ratiocinatione reſpondes expendero. Melius enim eſt diuulſas iſtas partes coniungere,vt res liquidior ſic fiat. Sic ergo ſcribis: *Si maiorem ex parte intelligis,vt verba ſignificant, totam ratiocinationem nego, quòd modus iſte ſit fallax in argumentando. Sin ex toto intelligis, vt ſæpe authores ſolent,nimium tribuis Aſtrologis,quaſi nequeant errare. Aſſeris enim ea omnia futura eſſe, quæ ipſi credunt ſe præſcire poſſe, tanquam ſemper fiant quæ ipſi prædicunt, aut prædicere poſſe credunt.* Hæc tua ſunt.Non ego hîc attentionẽ & diligentiam à te requiram? Quam tu Maiorem ſiue propoſitionem iudicas, aſſumtio eſt ſiue Minor.Contrà verò quæ tibi aſſumtio videtur,propoſitio eſt.

Quod ad primam attinet,quæ tibi Maior eſſe perperam viſa eſt, quæris,an ex toto intelligam. Quid hîc dicam? Ita habet propoſitio ea:Quæ Aſtrologi præſcire ſe credũt,omnia per accidens eueniunt. Poteſt ne dubitari,quin vniuerſaliter hæc ſiue ex toto,vt tu loqueris,intelligenda ſit? Senſus eſt, Omnia quæ Aſtrologi prædicunt, per accidens ſunt futura.Certè nomen,Omnia,antecedens eſt,vt grammatici dicunt,ad quod refertur relatiuum, Quæ.Ita ne Aſtrologia tibi oculos animi ſimul & corporis perſtrinxit, vt iſta non cerneres,quæ tam ſunt trita? Quod deinde addis,ſi ex toto intelligam, nimium me tribuere Aſtrologis, quaſi in prædicendo errare nequirent,ſimile eſt iam dictis. Non diſertis aio verbis, talia omnia quæ præſcire ſe Aſtrologi putent,per accidens euenire? Non ergo euenire ea ſemper dico,ſed eius eſſe naturæ aſſero, vt per accidens fiant, ſi fiant. Ideo falli ipſos, quòd talium ſibi præſcientiam ſtultè arrogent. Qui per accidens aliquid futurum eſſe ait,is oſtendit apertè,non etiã fieri tale poſſe, imò planè incertũ eſſe,præſciriq; nullo modo poſſe,vtrum futurũ ſit,an nõ futurũ ſit.

Addis poſtea, te propter artis certitudinem admittere,

Digitized by Google

omnia futura eſſe, quæ futura prænuncient Aſtrologi: at quatuor eſſe in ratiocinatione terminos, minoremq; cum maiori pugnare. Quod dũ probare ſtudes, in eodẽ ſemper errore volueris, imò inuoluis te magis magisq;. Spero te ex prædictis perſpexiſſe, quantũ vbiq; ſis hallucinatus. Tandẽ verò opinari te rectè ſcribis, me hoc velle, Omnia Aſtrologica, hoc eſt, quæ Aſtrologi futura prænunciare ſolẽt, non niſi per accidens euenire. Coniectaſſe id te ex aſſumtione ſequentis argumenti ais, cuius propoſitio de parte tantum aſſerat. Eſt autem hæc illa ratiocinatio.

Per accidens futura, nec arte nec ratione aliqua præcognoſci poſſunt.

Aſtrologicę ꝓdictiões oẽs cõtinẽt tãtũ ꝑ accidẽs futura.

Aſtrologiæ ergo prædictiones nec ex arte nec ratione proficiſcuntur.

Hæc ratiocinatio eadẽ eſt cũ ſuperiore. Contraxeram in pauca iſta, vt clarior eſſet. Rectè ergo hîc ex aſſumtione collegiſti, q̃d ſuprà voluerim. Hoc meritò mirari cogor, quòd, cum hîc ordine ſuo propoſitiones poſitas videre potueris, non animaduerteris eam, quę hîc eſt aſſumtio, ſuprà quoq; aſſumtionem fuiſſe.

Maiorẽ ſiue propoſitionẽ tu in hac ratione de parte aſſerere, nõ de toto cur dicas neſcio. Certè eadẽ eſt cum iſta: Nulla res per accidẽs futura, arte pręcognoſci, antequã fiat, poterit. Neſcis indefinitas propoſitiones in neceſſaria materia vniuerſales eſſe? An non principij vniuerſalis rationẽ obtinet? Quinimò tu idẽ ſentire ac dicere paulo pòſt videris, cũ ita ſcribis, cõtingentia nõ ſunt artis nec ſcientiæ: proculdubio id voluiſti, Nulla cõtingẽtia arte cõtineri. At quæ per accidẽs fiũt, Contingẽter fiũt, ſeu cõtingẽtia ſunt. Quomodo ergo negare eã potes. Suprà namq; negabas. Hãc, reſpõdebis, nego, Aſtrologica omnia per accidẽs euenire ſeu futura eſſe. At hęc nõ eſt Maior. Ergo Minorẽ negare voluiſti fortaſſe. Atq; in primis eã literis Frãcofordia ad te ſcriptis ꝓbaui. Et vera eſſe q̃ attuli tu cõfeſſus es. Quare nullã à me aliã probationẽ tantiſper petere debes, dũ aut nõ refutaueris illa, aut non hoc efficere, quod volo, demonſtraueris.

Equi-

Equidem cum Aſtrologos de ſolis cõtingentibus, vt futura ſunt, vaticinari negas, qd neges neſcis. Quis enim res neceſſariò euenturas prædici ſibi velit? Si, quæ nuper Francofordia ad te ſcripſi, perlegiſti attentè, nõ potuiſti ignorare. Cur igitur tã acerbè me accuſas ignorãtiæ? Sed quæ huius generis ſcribis vniuerſa, facilè tibi cõdono, præſertim cũ perturbatum & commotũ te fuiſſe inter ſcribendũ oſtendant. In ſecũda iſta ratiocinatione ſi Maiorẽ vniuerſim accipiam (ita accipiendã indicaui) minorẽ te negare inquis, ſtatimq; addis: *Nihil video hîc te probare contra Aſtrologiam, niſi argumentis per accidens longè magis quàm ipſa Aſtrologia probet.* An tibi argumentum prædictum per accidens videtur probare, Aſtrologorum conatus euanidos eſſe & inartificioſos? Refelle, ſiquidem potes, nec nihil te feciſſe dicã.

Nullus euentus per accidens futurus, poteſt arte, antequam fiat, futurus præcognoſci.

Quæ Aſtrologi futura prædiuinant, omnia per accidens eueniunt, ſiue futura ſunt.

Ergo quæ Aſtrologi ſe præſcire & prædicere poſſe arbitrantur, præſciri futura nequeunt. Fruſtra igitur laborant. Falſum etiã eſt Aſtrologiam, cuius ope ſe præuidere dictitant talia, artem eſſe.

Quid hic negabis? Maiorem ne? Atqui conceſſiſti eam paulo antè. Minorem ne? Minimè gentium. Dicis enim neminem Aſtrologum, quod quidem tu ſcias, illa negaſſe, quibus eam probaui. Et certè nullus negare poterit, ita inquã, vt falſa eſſe probet, aut non firmiter efficaciterq; propoſitum probare oſtendat. At concluſio rectè ex præmiſſis infertur. Neceſſariò ergo ſequitur, Aſtrologiam fabulam eſſe, deliramentum & ſuperſtitionẽ ocioſorum & credulorum hominum. Si æquè firmis argumentis, quod tibi facilè eſſe aſſeris, Medicinam vanam, falſam, futilem probaueris, eris mihi magnus Apollo, imò nouus Apollo, & in diſſerẽdo ipſo etiã magiſtro Ariſtotele peritior. Nõ enim ex aſtris Medicina preſagit, nec omnino prędicere præſentireq; futura, quatenus futura ſunt: ſed quatenus iam fieri & eſſe inceperũt, docet. Sed de hiſce in prioribus meis ad te literis plura.

Digitized by Google

Aſtra non particulares & proprias horum inferiorum cauſſas, ſed maximè tum generales tum remotas eſſe dixi, & verè quidem dixi. Harum autem nullam cognitionem & ſcientiam haberi neq; dixi, neq; cogitaui vnquam, multò minus Ariſtotelem ita ſcripſiſſe alicubi affirmaui. Falſò igitur me id dixiſſe cenſes, quod ne in mētem quidem mihi aliquando venit. Hoc dixi, tales cauſſas neſciri, aut non cognoſci, quatenus effectum certũ ſint producturæ. Cum enim per ſe nequeant, aliæ autem cauſſæ ipſis accidant, cognoſci vt tales nequeunt, niſi accidẽtes omnes cognoſcantur. At hoc impoſſibile. Ergo & illud. Hominem cognoſcere poſſum, tametſi huius hominis, Petri ſcilicet, notitiam nullam habeam, imò ne natum quidẽ ſciam. Eodem modo cœleſtium notitiam habere nos nihil vetat, quantumuis hoc aliquid effectura ignoremus. Hæc quoq; iam antea in literis meis tibi tranſmiſſis, licet breuiter, expoſita ſunt. Non hoc quæritur, an vniuerſalium cauſſarum cognitio aliqua habeatur, vel, an cœleſtium vires percipiamus: ſed hoc quæritur, vtrum particulares inferiorum cauſſæ ſidera cenſeri debeant. De priore nulla eſt quæſtio, ſi cùm quæ antè ſcripſi, tum quæ nuper dixi conſiderentur. Sidera particulares cauſſas eſſe horũ effectuum, vel te quoq; teſte, falſum eſt. Quæ de Dæmonibus & cõuicijs aſſuis, libens prætereo, etſi non parum multa hîc quoq; haberem, quæ tuis rectè opponerem. Quòd libellum à Sciolo ſcriptũ tibi videri addis, nihil detrahit eruditioni Sauonarolæ.

Picum te legiſſe & intellexiſſe, atq; adeò ſolutiones argumentorum te inueniſſe, demum Bellantium & Raphaelem (arbitror te Gabrielem voluiſſe dicere) quendã, qui ipſius argumenta omnia doctiſſimè refutent, ipſi te oppoſuiſſe, ſcribis quidem: an verè autem ſcribas, ſuſpicari non immeritò mihi licet. An te, qui mea & Sauonarolę leuicula argumenta, (ſi cum Pici argumentis conferantur,) vt quæ propter vulgum ſcripta ſint, intelligere non potuiſti, (niſi fortaſſe nolueris intelligere, quod certè libentius credo) Pici viri doctiſſimi doctiſſima argumenta peruidiſſe veriſimile ſit? Si nõ videre potuiſti quàm inſcitè nulloq; iudicio Bel-

Digitized by Google

lantius argumenta ipſius reprehendat, quàm imperitè & temerariè damnet, quàm abſurdè erret, cum ſe diſſoluere ea putat, quàm aſtutè & malignè eleuet ac diſſimulet, nunquam mihi perſuadebis illius te ſenſum aſſecutũ fuiſſe. In præſentiarum ſatis ſit monuiſſe, doctiores Aſtrologos Bellantium nõ facilè producere. Putas me Bellantium, & quidem maiore multò diligentia, quàm tu meas literas perlegeris, non perlegiſſe? Falleris plurimum, ſi credis.

Fallacibus me & captioſis argumentis vti non rectè ſentis, dum ita ſcribis: *Nec patronum Aſtrologiæ me conſtituo.* Vnde hoc ſumis argumentum? Ex eodem ſophiſmatis genere, quo & prius. Iſte non ſequitur Picum, ergo non legit, nec intellexit. Mox aliud adducis meum ſophiſma, his verbis: *Iſte vult obiter in explicatione vſus aſtrolabij ad aliquorum calumnias reſpondere, ergo conſtituit ſe abſurdiſſimæ cauſſæ patronum.* Facilis eſt ad vtrunq; reſpõſio. Nullo enim ſophiſmate vſus ſum vel hîc, vel ibi. Prius argumentum tale eſt: Qui Picum Aſtrologiam recte vereq; confutantem legit ac intellexit, is aut non probabit vanitatem dogmatis, aut pertinacia quadam in cõcepta opinione vult perſiſtere. Poſtremum hoc ideo non addidi, quia de te credere nõ potui, & ne nunc quidem credo. Hac de cauſſa iam quoq; nõ appoſuiſſem, niſi ita me vt facerem coegiſſes. Vides nullum hîc eſſe ſophiſma. Non enim dubitari poteſt, quin rectè & ſolidè Picus confutarit. Omnes faſſi hactenus ſunt, & fatebuntur in poſterum, qui argumẽtorum vim perſpiciunt. Quòd Aſtrologi non multi cedũt, hinc euenire arbitror, quòd nõ intelligunt, aut non legunt. Quoſdã ſtudioſè in errore permanere velle, non probabile ſolum, ſed omnino verum eſt.

Alterũ tale erat: Hic conabitur hoc anno aliquot argumentis probare Aſtrologiam eſſe naturalem, & ab homine poſſe ſciri, Deumq; velle hanc ad nominis ſui gloriã diſci. Item, Si Deus ei conceſſerit vitam bonam, Deiq; donum eſſe, certiſſimis & euidentibus argumentis ſe probaturum promittit: ergo conſtituit ſe patronum Aſtrologiæ. At hæc abſurda eſt, ſi modò talia ſunt, quæ falſa & mẽtita ſunt. Falſam eſſe ratio, ſenſus, philoſophia, ſacræ literæ, huius inter-

pretes probarũt. Si nõ credis, Sauonarolã, (vt Picũ taceam) lege, & vel vnicũ ipſius argumentũ diſſoluere tẽtato, minimeq; ignauũ Aſtrologiæ expugnatorẽ eſſe perſpicies. Idem hoc magis intelliges, ſi plura vel omnia cũ ratiõe refellere conari audebis. Sic nullo me ſophiſmate vſum clarè docui.

An verum ſit, quod de Pico Bellãtius ſcribit, Sauonarolæ precibus impulſum diuinũ illud opus cõtra Aſtrologos cõſcripſiſſe, ad cauſſam nihil facit, dũ quę ſcripſit vera ſunt, vt rationi, philoſophiæ, ſanctæq; Religioni conſona. Bellantius nõ aſſeueranter, vt hoc etiam obiter dicam, ſcribit, Picum Sauonarolæ precibus adductũ opus illud compoſuiſſe: ſed veriſimile putat, vt ex epiſt. dedicatoria ad Catharinã Sfortiam, & illis quæ poſt Præfationẽ in ſuas reſponſiones poſuit, videre licet. Quæ ideo dico, vt ne Bellantium quidẽ ſatis diligenter te legiſſe videas.

Tu nõ Italo illi ſeni, à quo te accepiſſe ſcribis, magis quã ipſimet Bellãtio credere debuiſti. Is in principio libri 5. ſuarũ reſponſ. ſic ſcribit: *Nec vnũ tacendũ videtur, cõplures ſunt autẽ Florẽtiæ teſtes fide digniſſimi, quibus, inſpecta Hieron. Sauonarolæ genitura, quinq; ante eius iacturã menſes, dũ florebat, & ipſum Hieron. ad hæreſim inclinatũ, & vitã laqueo terminaturũ prædixi.* Hęc Bellãtij ſunt, ex quibus perſpicis, te vnà cum Italo, cui imprudẽter credidiſti, decipi. Nõ Piſis ille Sauonarolæ hoc prædixit. Nõ Sauonarolæ, ſed quibuſdã Florẽtinis dixit. Nõ comburendũ aut Florẽtiæ aut alibi affirmauit, ſed laqueo vitã finiturũ ſcribit ſe de eo prænũciaſſe, quinto ante ipſius mortẽ mẽſe. Quomodo me vis credere, te cũ iudicio Bellantiũ Pico oppoſuiſſe, qui nihil eorũ, quæ maximè ſcire te cõueniebat, in ipſo animaduertiſti? Si minus facilè crederes, ne Aſtrologiæ quidem fidem adhiberes.

Valde exultat in hoc loco Bellãtius, & Aſtrologos ſupra vulgarẽ hominũ ſortẽ extollit, ac diuinã vocat Aſtrologiã. Cur faciat quæris? Quia, inquit, ex magna Iouis & Saturni cõiunctione Aſtrologi quidã, falſi prophetæ aduentũ prædixerũt: quæ res minimè, vt Picus ſenſit, vana fuit. Sauonarolã namq; ſidera ſignificabãt. Bellãtius Sauonarolã ſæpe, tametſi nõ vbiq; tã explicatè, vt hîc facit, falſum prophetã appel-

appellat. Quam verè, pij omnes & docti viri intelligunt. Sanè cum à ſuæ ætatis theologis diſcedit, ita ferè ſentit, vt hodie pleriq; omnes boni, & tu quoq; ſentis. Et propter hæc falſus propheta dictus eſt Bellãtio. Libelli, quos pij omnes per Germaniam probant, ſuisq; legẽdos proponunt, pietatem hominis teſtatam nobis faciũt. Quare ſi hæreticus ille fuit, nos quoq; omnes, qui à Pontificis dogmatibus diſceſſimus, hæreticos eſſe oportebit. Ob eandem cauſſam Cardanus Lutherum quoq; à ſideribus ad hæreſim impulſum opinatus eſt. Si ætatem noſtram ille vidiſſet, Magnam illam coniunctionem noſtri temporis viros ſanctos ſignificaſſe abſq; dubio aſſeueranter affirmauiſſet.

Sed fac verum eſſe, quòd hæreticus fuerit: an ideo cœli hoc indicarunt? Ponamus ita credidiſſe Bellantinm, quem ex alijs coniecturis iſta conieciſſe plus ſatis conſtat, an propterea Aſtrologia vera dicenda putandáue ſit? Ego nõ ita iudico, & cur non ita iudicem declarabo. Quis neget longè plura, & his multò admirabiliora, Augures, Extiſpices, Geomantes, aliosq; diuinatores olim ac hodie etiam diuinare conſueuiſſe? Quòd ſi propter ea, quòd euentus aliqui vaticinijs reſpondent, (ſiue caſu quopiam, ſiue Dæmonũ inſpiratione eueniat,) ars illa vera iudicanda eſt, oportebit prædictas omnes non veras modò, ſed veriſſimas ponere. At ſunt impiæ, futiles, & ex æquo cum Aſtrologia damnatæ.

Si quo in loco Deus opt. max. Aſtrologiã damnarit, vbi Prophetæ impiã docuerint, quomodo ratio & philoſophia inanem & putidã demonſtrent, ſcire cupis, lege Picũ, Sauonarolam, Philoſophos & Theologos omnes, maximè antiquos (de Theologis ipſe non negas) lege ſacras literas, & abundè quod quæris inuenies. Reperies in meis etiã literis nonnihil, quod certè hactenus refutare nõ potuiſti. Formã argumẽti vitioſam malè credidiſti. Aſſumtionem perperã negaſti, quam ego validiſſimis rationibus, vel te ipſo teſte, cõfirmaui. Horum cũ nihil neges, neq; nõ conficere propoſitum oſtẽdas, immeritò plures à me probationes flagitas.

Nõ vno tantũ argumẽto in primis meis literis ad te vſus ſũ, ſed pluribꝰ, pcipuè verò duobꝰ. Quã infeliciter cõfutare

prius tẽtaris vidimus. Ad alterũ ne verbo quidẽ ſigillatim reſpondiſti. Habet aũt,ſi in forma cupis videre, hoc modo:

Quæcunq; cauſſa non poteſt ſuos effectus abſq; ope & auxilio aliarum cauſſarum,quæ ipſi pro generatione illorũ effectuum per accidens coniunguntur, producere, huius cauſſæ ſolius accuratiſſima etiam cognitio nihil nos iuuat ad præſenſionem talium effectuum.

Sidera à natura ita facta ſunt, vt hos effectus, de quibus Aſtrologi ſe diuinare poſſe opinãtur, producere nequeant abſq; coniunctione aliarum cauſſarum, quæ ſideribus per accidens variè coniunguntur. Exempli gratia: Sidera non poſſunt generare hominem,niſi vir mulieri iungatur,multò minus pulchrum aut deformem, robuſtum aut valetudinarium, diuitem aut pauperem poterunt generare, niſi robuſtus cum robuſta,diues, pulcher,&c. congrediatur. At hæc omnia ſideribus accidere vel cæci peruideant.

Ergo ex perfectiſſima etiam ſiderũ notitia intelligi non poteſt, an effectus tales futuri ſint nec ne ſint. Non enim quales ipſi cauſæ coniungendæ ſint hominis mens comprehendere valet.

Iam aliud argumentum tuum recito. *Aſtrologiæ operam dantes,fidemq́; habentes Diabolicos cenſes. At viri quidã docti id faciunt. Ergo,&c.* Ad hoc quia in ſuperioribus reſpondi, paucis me expediam in præſenti loco. Propoſitionẽ tuam falſam eſſe aio, neq; ex ſcriptis meis, quod tamen tu putas, probari vnquam poterit,ſi candidè interpretari voles. Hoc modo ſi ponas,veram eſſe cõcedam. Qui Aſtrologiam colunt, nec eam repudiant, tametſi impiam & Deo aduerſariam cognouerint, impij ſunt. Hoc pacto ſi mea intelliges, aio cætera rectè ſequi, quamdiu non reſipiſcunt. Scriptura ebrios nõ poſſeſſuros regnũ Dei pronunciat. Nemo eſt, qui non ita intelligat,ſi nõ eos facti ſui pœniteat. Hoc modo omnes loqui ſolemus. Si ergo impij non ſunt abſolutè, qui ſcientes peccant,niſi reſipiſcere ſeriò nolint,multò minus impij mihi iudicati ſunt vnquam,qui neſcientes offendunt. Vides quàm facilè me ex laqueo,quo me cõſtrictum teneri arbitratus es,explicauerim. Veritate, acutiſſimo ſcilicet

licet gladio,ſemel totum diſſecui.Fruſtra me iubes de quorundam ſententia exquirere.Non enim cenſor conſtitutus ſum, vt in aliorum mores inquiram ſuperſtitioſius. Ocioſorum hoc eſt, & curioſorum hominum, à quorum ingenio mei mores meaq; vita ſemper fuit alieniſſima. Sed hiſce & ſimilibus alijs relictis, ad ea redeundum iam eſt quæ ſuprà in hunc locum reieci, ne diſputatio de mea ratiocinatione diſcerperetur.

Poſtulaui à te,vt,ſi modum aliũ noſſes,quo Aſtrologiam naturalẽ dici poſſe conſtaret, eũ mihi indicares. Huic meæ petitioni ſatisfacturus, naturalem dici ſcribis, quia ſit conſideratio de corporibus naturalibus,& eorundẽ operationibus.Verùm ego hunc modũ non ignorabam. Inter alios recenſui,& diuinatrici non rectè adhiberi docui. Alium te modum indicaturum putabam, cũ tot me ſignificationes vocis,Naturalis,omiſiſſe ſcriberes. Sed iã tua expendamus. Si Aſtrologiam naturalem eſſe ſolidè probaueris, non tu quidem inter homines infimum, ſed ſummum obtinebis locum. Sex tuas rationes quibus probare tentas,ordine ad veritatis ſtateram examinabimus.

1 Prima huiuſmodi eſt: *Omnis ars corporũ naturalium, naturalis eſt. Aſtrologia eſt ars corporum naturalium. Ergo eſt naturalis.* Aſſumtionem vehemẽter tibi metuo vt verã probaturus ſis. Prudenter ſanè probare tentaſti, Aſtrologiam eſſe artem. Statim enim hoc negaturus fueram. Ergo quomodo probes conſideremus oportet.Aſtrologiæ accõmodari ſeu tribui poteſt artis definitio. Ergo ars eſt. Etenim præcepta, inquis, multa huius artis extare, vnumq; finem ſpectare vtilẽ vitæ,nullus hominũ rectè negare poteſt,licet aliqui eũ nõ ſemper cõſequantur.Paulò pòſt,quid per præcepta intelligas, ſatis dilucidè declaras, cũ Aſtrologos hoc anno vehementẽ æſtũ frequẽtesq; grandines futuras prædixiſſe ſcribis,ob Planetarũ poſitũ in trigonis & ſignis calidis,ac Martis ſitũ in Ariete,quo in eundẽ tẽpore ſol ingreſſus eſt. Præceptũ namq; Aſtrologicum tale erit: Planetæ & Mars ſi hac inter ſeſe figura,cũ ſol arietem attingit, conſtituti fuerint,æſtum & grandinem expectabimus.

Digitized by Google

Talia prçcepta(hac iā nominatione dignabor) cōtinere plurima Aſtrologiam nō neſcio.Eadē illa inter ſe cōſpirare ad vnū finē,ſcilicet ad futurorū prçſenſionē,minimè nego. Concedo etiā,vtilē hominibus plurimis videri poſſe futurorū præſcientiā. Sic igitur artē eſſe ꝓbas : *Aſtrologia eſt collectio multarū ꝓpoſitionū cōſenſione quadā futurorū præſenſionē ſpectātiū.At hæc eſt ratio ſeu definitio artis. Quæ cū aſtrologiæ cōueniat,artē probatū eſt eſſe ipſam.* Bona,vt puto,fide rationē tuā deduxi. Ad eā ego ita reſpondeo,fallacē eſſe tuā collectionē. Nā caret illis p̄ceptis Aſtrologia,quæ in definitione artis ponūtur. Quod quō ſit verū,iā docere aggredior.

Artē cū dicimus eſſe comprehenſionē multorū præceptorum ad finē vtilē vitæ conſpirantiū,nō quālibet propoſitionum ſiue enunciationum collectionē intelligimus,tametſi mutua cōſpiratione vtilē homini vitā quærāt. Veras eſſe tales propoſitiones,nō falſas oportet. Argumento nobis ſint,Auguriū,Extiſpiciū, Geomātia,Onomātia,& huius generis cōplura alia deliramenta.Quis tā eſt audax,qui nō has quoq; artes (ſic enim olim vocabantur) multa præcepta habuiſſe & habere,quæ aptè inter ſe conſentiant ad intelligēda futura? Equidē,vt dē alijs,quas nunquā ſciui,nihil dicā,de Geomātia cui olim,dū Aſtrologica mihi adhuc arriderēt,nō impigrā operā nauaui,hoc verè affirmare poſſū. Sed negari de alijs nullo modo pōt. Cur igitur nō habētur inter artes iſtæ ſupſtitiones? Quia artis ratio illis cōuenire neqt. Vera nāq; nō falſa eſſe oportet p̄cepta,ex ꝗbus cōcinnè iūctis ars coaleſcere pōt. (Loquor de honeſtis & liberalibus artibus. Inhoneſtę ne nomine quidē hoc dignæ ſunt.)

Vnde ſcitè Galenus tria in omni prçcepto requirit,vt ſit verum,vtile,cōſentiens.Horū ſi aliquo careat,præcepti nomen pariter & naturam amiſit. Quòd ſi vera eſſe oportet, vt oſtenſum iam eſt, ſequitur primùm quidē,vt cum rebus concordent. Veritas enim orationis non aliunde,quàm ex concordia cū rebus æſtimatur : deinde aliarū artium principijs nō repugnabunt. Verum etenim vero nunquam aduerſatur Poſtremò propoſitum finem vt plurimum,ſi non ſemper poſſunt, & per ſe, non autem per accideus, efficere

ſem

ſeu conſequi debebunt. Nam eorũ quæ per accidens fiunt, nec ars eſt, nec ratio aliqua. Talia quoq; non plerunq;, ſed rarò eueniunt. Artes autẽ plerunq; ſuos effectus ſeu fines aſſequuntur. Ac referuntur artificioſa omnia, quatenus talia, in artem, à qua effecta ſunt, tanquam in per ſe cauſſam. Quare etſi pręcepta aliquis complura congerat, itaq; inter ſe copulet, vt mutua conſenſione finem vnum quærant, illum tamen per ſe nunquam aſſequantur, nomen artis non merebuntur. Falſa nãq; talia eſſe palàm eſt, niſi vera putentur, quæ eiuſcemodi promittũt, qualia præſtare nequeunt.

Talia ſunt, exempli gratia, Chymiſtarum præcepta, quibus aurum venantur infelices quidam. Tametſi enim illa concinnè iunguntur, vnumq; omnia finem, ſcilicet auri effectionem, quærant: eum tamẽ, quia efficere & aſſequi non poſſunt, falſa meritiſſimò cẽſenda ſunt. Scio & experientia didici, multa & vulgò incredibilia per illa præcepta à peritioribus artificibus effici poſſe. Ad hæc ſi referantur, artis nomine dignabimur. At verò cum ad auri argentiue effectionem, quam præſtare non valent, conferuntur, falſa ſunt, & à loco & dignitate pręceptorum artis excidunt. Primùm, quia non præſtãt quod promittũt: deinde quia huic principio ſiue axiomati, *Ars naturam imitari poteſt, eadem quæ natura facit, facere non poteſt, repugnant.*

Talis fuit illius conatus, qui ſe nauem fabricaturum receperat, in qua ita per aerem homines ad certum ſpacium veherentur, vt in aqua vehi videmus. Præcepta ad nauis fabricam, vt ille animo conceperat, collata, conſentientia & vera potuerunt æſtimari: at ad verum finẽ, hoc eſt, ad vſum illius nauis relata, falſa fuerũt. Ex quibus omnibus apparet, quo pacto intelligendũ ſit, cum artẽ dicimus comprehenſionem eſſe multorũ præceptorũ ad finẽ vtilem vitæ producendũ cõſentientium. Nihil ergo efficis, cũ multa Aſtrologiæ extare præcepta dicis, quæ finẽ vtilem, videlicet præſenſionẽ futurorũ ſpectent. Nã de Geomãtia, Augurio, Extiſpicio, alijsq; diuinãdi modis eadẽ dici poſſunt nõ minus verè, quàm de Aſtrologia, artes tamẽ inde eas ꝓbare, nemo ſanæ mentis conabitur. Sic igitur ratiocinari te oportuit.

Digitized by Google

Ars eſt cõprehenſio multorũ præceptorũ verorũ,ad finẽ vtilẽ vitæ per ſe efficiendũ conſpirantiũ. (Si per ſe finẽ,non autẽ per accidens producant, patet vt plurimũ eũ attingi.)

Atqui Aſtrologia multa habet vera præcepta,quibus futurorũ p̃ſenſio p ſe docetur,vt rarò à ſcopo artifex aberret.

Ergo aſtrologia ars eſt nominanda & habenda.

Hoc modo ſi fueris ratiocinatus,aſſumtio ſiue Minor tibi reſtat probãda. Quod cũ facere incipies,quàm ſint omnia vana intelliges, & cui humeros oneri ſubieceris cõperies. Loquor aũt de præceptis Aſtrologicis,nõ Aſtronomicis aut naturalibus. Nã Planetas certo tẽpore tali ſchemate in cœlo apparituros cũ alijs ſtellis,præceptum Aſtronomicum eſt. At talem ſtellarũ diſpoſitionem,talem aliquem certũ effectum hîc productũrũ, quales Aſtrologi ſe præuidere iactitant,præceptũ eſt Aſtrologicum. Talia omnia,aut ſunt manifeſtè falſa,aut ita incerta & dubia, vt probabilioribus ſemper cõfutari,quàm cõfirmari queant. Ergo nondum te probaſſe Aſtrologiam artem eſſe perſpicuè vides.

Miror profectò te credere cauſſas inſoliti caloris, fuiſſe planetarum in trigonis & calidis ſignis,ac Martis in Ariete conſtitutionem ſub ingreſſum ſolis in eundem. Miror illud etiã, quòd torpens & frigore enectus veterator ille Saturnus, Martis æſtũ,quẽ ex ſolis propinquitate cõcepit, reprimere nõ potuerit, præſertim cum in Tauro ſigno ſecundũ vos frigido,(in quo etiã ſol defecit,)cõgreſſus cũ eo ſit. Ego hoc anno quorundam,qui præcipui habẽtur, libellos prognoſticos legi,nec tamẽ ab ipſis tale aliquid prædictum aduerti. Tardum eſſe neceſſe eſt,qui præteritorum non cauſſas qualeſcunq; comminiſcatur,cum & ſomnia hoc modo aptent pleriq; præteritis. Sed hîc nõ eſt de his locus. Vnum præterire nõ debeo, multis annis nunquã infrequentiores grandines in his & vicinis locis viſas eſſe. Nihil etiam apud vulgares magis futilitatẽ Aſtrologiæ arguit,quàm de temporum mutationibus infinita mendacia. Lege quæ Bellantius in 2. artic. 13. quæſtionis hac de re ſcripſit.

Quanquam ſi his terminis ſe contineret Aſtrologia, tolerabilis minusq; impia foret, quantumuis falſa maneret

nihi-

nihilominus. Quod ne tu quidem intra hoſce cancellos te cōtinere poſſis, id probat, quod in fine de aduerſarijs meis, de quibus ad te ſcripſerā, aſſuis: *Illi*, inquis, *nihil contra te ſcribent hoc anno. Aſtra enim nolunt, niſi mirabile aliquid.* Hæc cū legerem, riſum tenere nō potui, ſtatimq; ſic cogitaui. Aſtra nihil niſi mirabile permittēt. Atqui edere, bibere, ambulare, loqui nō ſunt mirabilia. Nihil ergo horū faciēt illi homines. Nullā videbā rationē, cur loq, numerare, currere, legere, ſi ita placuiſſet ipſis, poſſent: ſcribere aūt quæ cogitaſſēt, nō poſſent. Ita ne animi noſtri alligati ſunt cœlis, vt ne ſcribere quidem nobis liceat, niſi Aſtrologica aliqua figura id iubeat aut permittat? Lōgiſſimè extra terminū procurris, & niſi ſubſtiteris, regreſſum non facilè inuenies.

Tu ne ex aſtris, quid homines facturi ſint particulatim vides? Ab alijs Aſtrologis negari audio. Si eiuſmodi actiones noſtræ à cœlo pendent, vt eo nolente, nequeamus, quę meditati ſumus, ſcribere, quæ porrò nobis relicta eſt libertas? Præterea videris hoc velle, illos nihil pro Aſtrologia admiratione dignum poſſe pręſtare. Si poſſunt, & aſtra mirabilia non prohibent, inſcitè concludis eos pro Aſtrologia nihil ſcripturos. Si nō poſſunt, ignauos & imperitos Aſtrologiæ patronos facis, niſi hoc pro excuſatione adducas, quod ego vt veriſſimum libenter concedo, nihil præclari, quod ſcilicet præcipua laude admiratione ue dignum ſit, (hoc enim te mirabile appellare ſuſpicor) à quoquam pro Aſtrologia excogitari poſſe. Si aliud per mirabile intelligis, quid mirabilius illi facere poſſint, quàm vt pro Aſtrologia ita, vt tu, pugnent, non perſpicio. Quare ſi ἀστρολογικῶς argumentari velim, maximè ſcripturos probem. Quod preterea dicis nihil me phyſicum arbitrari, quod nō expreſsè docuerit Ariſtot. hoc tu nunquā oſtendes à me dictū ſcriptúmue eſſe.

2 Secunda ratio tua hæc ferè eſt. Ariſtoteles non excludit Aſtrologiā à phyſica. Quinimò phyſic⁹ ab Aſtrologo motū, lumē, influētias ita mutuatur, vt ab arithmetico numeros, à Geometra lineas accipit. Ergo Aſtrologia eſt Naturalis.

Hoc primum falſum eſt, Ariſtotelē non excludere eam à phyſiologia. Si vbi faciat interroges, reſpondeo, ibi, vbi artē

Digitized by Google

nõ eſſe ſubindicat: vbi ex cauſſæ Vniuerſalis cognitione artificioſa nihil illorum præſciri poſſe docet, quæ ab ea ſine opera ſecundarum cauſſarum fortuitò cum ea concurrentium, effici non poſſunt: vbi contingentium futurorũ præſenſionem impoſſibilem eſſe monet: deniq; in tota ipſius phyſiologia. Quòd ſi mentionem Aſtrologiæ ipſum facere obijcies, verè tibi reſpondebo, ipſum non ita hanc vocem vſurpare, vt nos ſolemus, id quod & tu cognouiſſe videris. Si meum argumentum, quod Ariſtoteleum eſſe non negabis, conſideraſſes, non hoc modo interrogaſſes. Primam ergo antecedentis partem nondum probatam vides. Nõ verius eſt, quod phyſicum propriè dictum, ab Aſtrologo aut Aſtronomo influentias & lumen mutuari addis. Nõ enim vnquam probabis. Motum, ſi rectè intelligas, ſiderum, ab Aſtronomo accipit. At diſputatio de operationibus, viribus, & qualitatibus ſiderum, itemq; de luminis natura, & poteſtate, non ad Aſtronomum, ſed ad philoſophum naturalem pertinet, ſi rationi, ſi philoſophorum ſentẽtiæ, ſi Ariſtoteli fides hîc habenda eſt. Quis, quæſo te, concedet tibi Phyſicum accipere motum ab Aſtronomo, vt iam taceam Aſtrologos? Ego ideo Aſtronomiam ex parte Phyſicæ ſubiectam putaui adhuc, propterea quòd motũ ab ea mutuata fuiſſet. Ad Phyſicum pertinet diſputatio de motu omnis, non ad Aſtronomum vel Mathematicum. Vbi nam hi docent quid ſit Motus, quomodo fiat, quæ ſpecies, & quę præterea ad conſideratione̅ Motus pertinent? Plurimum certè hîc aberras. Proinde vides nunc tam eſſe falſam ſecundam tuam rationem, quàm falſa eſt prima.

3 Tertia talis eſt. Philoſophia diſtribuitur in Phyſice̅, Logicen, Ethicen. Ergo cũ Mathematicæ diſciplinæ ſub Phyſica contineantur, multò magis huc Aſtrologia referetur. Naturalis ergo eſt. Mathematicas diſciplinas ſub Phyſica latè dicta (nam ſi propriè dictam intelligas, falſum eſt) contineri ſcio. Cur propterea Aſtrologiam ſub eadem cõtineri oporteat, non ſcio. Nam nihil illa Mathematicum habet. Hæc enim certiſſima & veriſſima ſunt omnia. Aſtrologica incerta & probabilia ſunt tantum, vel ipſorum Aſtrologorum

rum iudicio. Si ꝑpterea putes ad naturalē philoſophię partē referendā, quia de ſiderū actionibus & potētijs diſſerat, negabo tibi facultates in aſtris inueniri tales, quales Aſtrologi putāt dicūtq;. Quare cū ſomnia ſint, fruſtra in diuinis illis corporibus aſſeueraueris, niſi rationibus demonſtres.

Aues, atq; viſcera animalium, ex quibus diuinabant omnes ferè olim nationes, naturalia erant corpora. Quis propterea ſpecies illas vaticinādi naturalis philoſophiæ particulas hodie ponat? Quid in cauſſa eſt? Nihil aliud, quàm quòd in cōmemoratis corporibus naturalibus, vires illæ, quibus talia præſignificētur, nō inſunt. Si ſæpe tamē euentum præſenſioni reſpondiſſe dicas, reſpondebo & ego, vel caſu aliquando ita eueniſſe, vel Dæmonum fuiſſe ludibria. Quod quia nemo, vt cōfido, nunc negat ac neſcit, probare pluribus iam nō volo, quantumuis facilis ſit oſtēſio. Quod augures auium volatui geſtibuſq; tribuerunt, quod Geomantes appellati punctis, aut ex his concinnatis figuris adſcribunt, ſed falſò, hoc aut ſimile Aſtrologi perperam aſtris ineſſe affirmant. Non igitur conſiderat naturales Aſtrologia ſiderum vires, ſed fictitias. Fruſtra ergo hinc probabis eam naturalem eſſe, niſi antè illud demonſtratum ſit, has poteſtates inſitas ipſis eſſe, quæ res particulares noſtrates producant, quomodo producere Aſtrologi credidiſſe hactenus videntur, non ſine magno errore.

Quæ de Thalete Mileſio ex Ariſtotele adfers, cauſſam tuam nihil iuuāt. Neq; enim Ariſtoteles eo in loco aliquid affirmat, ſed Thaleti hoc adſcriptum fuiſſe ſcribit, propter ſapientiā. Permultum refert ſcire, cū authoritate alicuius probare aliquid volumus, vtrum author, quē pro teſte producimus, ex aliorū, an ex ꝓpria mente ac ſententia loquatur. Equidē vniuerſa Ariſtotelis philoſophia ſatis ſuperq; declarat, nihil ipſum Aſtrologiæ credidiſſe. Adde quod ex hiſtorijs apertè admodū ꝓbari poteſt, Thaletē Aſtrologiæ diuinatricis imperitū fuiſſe. Illo nāq; tēpore Græcis Aſtronomiæ principia incognita ferè fuerūt, nedum Aſtrologicas nugas ſciebāt. Thaletē primū Phyſicū fuiſſe, & primū inter Græcos cœleſtiū motuū cauſſas indagare cœpiſſe referunt.

Poſt hunc annis plus minus 80. Anaxagoras floruit. Qui cũ primus de Lunę defectionis cauſſa auſus fuiſſet ſcribere, ab Athenienſibus in carcerem cõiectus, vix eſt Periclis precibus ſeruatus. Nam ſidera putabant Athenienſes eſſe Deos, nec naturali ratione & lege contorqueri credebant, ſed ſe ipſa pro ſuo arbitrio circumducere exiſtimabant. Quomodo poſt totidem ferè annos Nicias Athenienſium res afflixerit propter ignoratam cauſſam deliquij Lunæ, docent Plinius & Plutarchus. Certè ante Platonis tempora, nemo præcipui aliquid inter Græcos in aſtronomicis percognouiſſe legitur. Huius amicus Eudoxus Cnidius, cũ nõ Aſtronomiã tãtùm ab Aegyptijs, verùm etiã Aſtrologiã didiciſſet: hãc expreſsè damnauit, illã ſummo ſtudio primus inter Græcos diligẽtius excoluit exornauitq́;. Nõ legimus vllum ex Græcia tanto ſtudio hiſce rebus operã dediſſe. Tam ſtudioſè omnia apud Aegyptios obſeruauit, ſiderũq́; motus notauit ex loco editiore, vt Eudoxi ſpecularũ nomen ætate Strabonis adhuc locus ille retineret. Et hũc primum apud Græcos legimus Aſtrologiam nouiſſe, quem nihilominus damnaſſe eandẽ ſcribunt authores, propterea quòd fallacem & futilem deprehẽdiſſet. Qui veræ Mathematicæ ſtudioſi ſunt aut gnari, hi facilè cum Eudoxo nugas iſtas reijcient. Sed redeo ad propoſitum.

Eudoxum ſecutus eſt Ariſtoteles, qui Callippi Cyziceni (vixit hic cum Polemarcho Cyziceno familiari & amico Eudoxi) familiaritate operaq́; vſus, Eudoxi inuentis addere aliquid eſt conatus. Hunc ſi Aſtronomiæ tu non admodum peritum fuiſſe credis, quem poſt Thaletem ferè 300. annis ſcripſiſſe ex hiſtorijs colligimus, quid de Thalete credes? Meritò, ait, de Thalete hoc dictum fuiſſe, & propter ſapientiam ei attributũ, hoc ipſo ſignificans ſe nihil certi affirmare de ea re, quam compertam nõ haberet. Profectò ſi quid tale cognouiſſe Thaletẽ crediddiſſet, nõ voluiſſet ipſe quoq; nõ ſcire. Sanè quod hîc de Thalete dictũ refert, Plinius de Democrito ſcribit, ita ſunt incerta omnia. Taceo quòd poſt Ariſtotelẽ neminẽ inter Græcos aliquot ſæculis Aſtrologica ꝓbaſſe legimus. Ptolemęus Aegyptius primus,

quod

quod ſciam, de hiſce Græcè ſcripſit: Qui ipſo antiquiores ſunt, Aſtronomica duntaxat ſcripſerunt. Hæc & huius generis alia te examinaſſe cõueniebat, antequam Thaletem diuinatricis Aſtrologiæ ſtudioſum & peritum fuiſſe tibi perſuaderes. Ariſtoteles certè hoc illi propter ſapientiam adſcriptum ſcribit ab alijs, ipſe Aſtrologum fuiſſe non dixit, nec fuiſſe eum talem credere potuit.

Vt non te decipiat homonymia vocabuli, ſciendum eſt, Ariſtotelem nomen Aſtrologiæ hoc loco ex aliorum ſententia ponere, pro obſeruatione ortus & occaſus ſiderum, quibus antiqui tempora operarum Ruſticarum deſcribebant. Qui vel Plinium vel rerum Ruſticarum ſcriptores perlegit, facilè, quid velim, percipit. Quippe Aſtrologia iſta Diuinatoria, de qua nunc agimus, apud Græcos Thaletis ætate ignota fuit. Quanquam verò per ſe res eſt probabilis & nota, non tamen pigebit Plinij verbis atque auctoritate planiorem teſtatioremque facere.

Plinius lib. Nat. hiſt. 18. cap. 28. hæc habet: Ferunt Democritum, qui primus intellexit oſtenditque cum terris cœli ſocietatem, ſpernentibus hanc curam eius opulentiſſimis ciuium, præuiſa olei caritate ex futuro Vergiliarum ortu, qua diximus ratione, oſtendemusque iam plenius, magna tum vtilitate propter ſpem oliuæ coëmiſſe in toto tractu omne oleum, &c. Et paulo pòſt: Hoc poſtea Sextius è Romanis ſapientiæ adſectatoribus Athenis fecit eadem ratione.

Hic primum diſſentit Plinius ab Ariſtotele in nomine. Ille nanque Democritum, hic Thaletem feciſſe hoc ſcribit. Deinde ſcribit ille, Democritum olei caritatem præuidiſſe: Ariſtoteles autem ait, Thaletem vberem olei prouentum præintellexiſſe. Quod Ariſtoteles dicit Thaletem ex Aſtrologia cognouiſſe, idque ex aliorum ſententia, hoc affirmat Plinius Democritum ex Vergiliarum ortu coniectaſſe. Et qua ratione præuiderit, explicatis verbis exponit, cum ait: Qua diximus ratione, oſtẽdemusque iam plenius.

Cæterùm conſtat, Plinium nullibi docuiſſe, quomodo more Aſtrologico, vt hodie Aſtrologi talia profitentur,

Digitized by Google

olei vel caritas vel vbertas ſit præuidenda. At ita præcognoſcere docuit, quemadmodum Agricolæ de hoc & alijs fructibus coniectãt, & quemadmodum ſuprà monuimus. Inuenies hoc cùm alibi, tum in lib. præcedente, cap. 2. luculentè expoſitum. In vtroque citato libro multa huiuſmodi commemorat, ex quibus, quod dico, facilè intelligi poteſt, qualia nonnulla in 25. & 26. cap. libri 18. reperies. Huc & illa diſputatio referri aliquo modo poteſt, quæ de olei perfectione apud Theophraſtũ cap. 11. libri de plantarum cauſſis ſexti habetur.

Illud in Plinio & Ariſtotele primùm apparet, admodum incertam fuiſſe olim eam hiſtoriam. Deinde vtrunque ea ſcribere, quæ apud alios inuenit. Præterea Plinium non in Aſtrologiam iſtam hodiernam, ſed in antiquam illam referre. Inter alia diſſenſionis capita hoc etiam vnũ eſt, quod Ariſtoteles Thaletem nõ ſcribit oleum coëmiſſe, ſed arrabone data officinas Olearias pro eo anno conduxiſſe, id quod Io. Geneſius Sepulueda primus, quantum ego ſcio huius rei, animaduertit, & ex Græco textu manifeſtũ fecit. Hoc obiter, quanquam ad rem nihil admodum faceret, monere quoque placuit.

Non malè fortaſſe ſenſerit, qui falſò de Thalete hoc ſcriptum ac dictum putauerit. Neque primum ſit hoc Græcorum in hiſtoria mendacium. Quinimò in eadem re non minus turpiter mentiti ſunt, cum Anaxagoram ex Aſtrologia ſiue ſiderum ſcientia anno ſecundo 78. Olympiadis dies prædixiſſe ſcripſerunt, quibus ſaxum è Sole caſurũ eſſet, quod & ceciderit ad flumen Aegos. Quin & alium caſurum prædixiſſe ſcripſerunt, qui in Abydi gymnaſio ea cauſſa cultus poſtea ſit. Vide Plin. lib. 2. cap. 58. Ratio quæ huc Anaxagoram perduxit, ea fuit, quòd Solem iudicauit lapidem ignitum. Quid miri fuerit, ſi tam verum illud ſit, quàm hoc eſt? Niſi plurimum fallor, minus poſthac roboris putabis in hoc Ariſt. et Plinij loco ſiue teſtimonio ineſſe, quàm vt veſtram Aſtrolog. hinc Ariſto. probatã oſtẽdatis.

4 Quarta ratio hæc eſt: Vetuſtiſſimi gentium Theologi, inter quos vltimus Plato fuit, anima mundi

Digitized by Google

di omnia per ſecundas ſtellas gubernari tradiderunt, ex quarum energia pro diuerſo ſitu motuque omnes mutationes in inferioribus fiant. Ergo Aſtrologia naturalis eſt. Nihil hic de conſequentia dicam tuæ ratiocinationis. Nihil de theologorum illorum gentilitatis mente & opinione. Nihil de Platonis ſententia, quam conſtat non fuiſſe Aſtrologicam. Plato certè, ſicut poſt ipſum Ariſtoteles, & poſt vtrunque Auerroes, nũquam crediderunt planetarũ ſiue ſtellarum alias eſſe beneficas, alias maleficas, ſed omnes omnino bonas putauerunt. At hoc principijs Aſtrologiæ ita aduerſatur, vt vix aliquid, hoc non conceſſo, efficiant. Quomodo Plato animis ex aſtris deſcendentibus peculiares ineſſe dixerit poteſtates, quas inde acceperint, nõ neſcio. Sed quàm non ſit vera illa ſententia, & quàm nihil Aſtrologiæ patrocinetur, ſimiliter non ignoro. Iſtis omiſſis, ex quibus iam argumentũ ſolutum eſt, alio modo apertius ita tibi reſpondere iam libet. Si omnes inferiorum mutationes à ſtellis, veluti à cauſſis per ſe, proprijs & definitis fieri putas, plurimum deciperis. Etenim rationi, euidentię & ſenſibus repugnat. Si verò tanquam à cauſſis vniuerſalibus & remotis gubernari hæc noſtratia à ſtellis opineris, pinatique ſint olim veteres illi, vitioſa eſt tuæ ratiocinationis conſequentia, vt ratio, ſenſus, experientia, doctorum omnium conſenſus, & ipſimet Aſtrologi (inuiti licet) declarant ac probant.

5 Quintam iam inſpiciamus. Si Magia naturalis eſt, quid prohibet Aſtrologiam, quæ rudior eſt naturaliorque, & ad Ariſtotelis doctrinam accedit propius, naturalem eſſe? Si per naturalem Magiam intelligis eam facultatem, quæ rerum naturalium omnium cœleſtium & terreſtrium vires, naturas, operationesque perſcrutatur, antipatheiam & ſynpatheiam rerum obſeruat, latentes earum poteſtates explicat, quæ quibus aptè coniungi, quo pacto, quo tẽpore per quæ media debent, perquirit: &, vt ſemel omnia dicam, quæ nihil non facit, vt exactam rerum notitiam conſequatur: dubium non eſt, quin eiuſmodi ratio naturalis ſit. Quinimò naturalium ſcientiarum omnium quaſi

complexus quidam ſummumque faſtigium ſiue extrema perfectio exiſtit. Hanc minus accedere ad Ariſtotelis doctrinam, cuius eſt abſolutio quædam, quam Aſtrologiam, tunc probabis, quando verum falſum eſſe oſtenderis, aut contrà falſum verum eſſe declaraueris. Si quæris cur non vt hæc, Aſtrologia quoque poſſit naturalis cenſeri: reſpondeo, hoc obſtare, quòd Aſtrologia tota eſt falſa, ficta, vana. Quòd ſideribus tribuit, quæ nunquam habuerunt. Quòd ex fabuloſis & fictitijs principijs & imaginibus futurorum præſcientiam pollicetur. Quòd ſenſui ac intellectui notis principijs repugnat. Quòd ſi per Magiam aliud intelligis, tum reſpondebo, cum quid intelligas ipſe intellexero. Nõ enim diabolicam illam Magiam omnibus bonis damnatam te commendare hic velle credere audeo.

6 Sexta & poſtrema ratio ſimilis eſt cęterarum. Multi appellant Aſtronomiæ partem naturaliorem, quæ eſt Aſtrologiæ, naturalem, Ergo eſt Naturalis. Quis amabo te Aſtrologiam non Aſtrologus naturalem vnquam appellauit? Si hoc ſatis eſt, vt naturalis ſit, quia à ſuis cultoribus ita nominetur: nulla tam impura inuenietur ſuperſtitio, quæ non ad minimum velit naturalis cenſeri. Pleræque non contentæ iſta nominatione diuinæ videri volunt. Alia eſt probatione opus, quàm Aſtrologorum teſtimonio. Valde nanque parum integri incorruptique ſunt in præſenti cauſſa teſtes. Scio quidem Ariſtotelem & antiquos, Aſtrologiam naturalem appellaſſe: verùm non iudiciariam ſiue diuinatricem illi intellexerunt, ſed Aſtronomiam notarunt, quam medium tenere locum inter phyſicas & verè Mathematicas ſcientias putauerunt. At hoc quid ad rem noſtram? Non propterea veſtra illa aut naturalis aut Aſtronomiæ pars cenſeri poterit.

Quemadmodum neque Onomantia illa rectè pars Arithmetices dicatur, quæ ex numeris præcipuè de cuiuſque hominis natura, moribus, ingenio, felicitate, infortunio, liberis, exoribus vaticinatur. Non enim quia numeris perperam vtitur, ſtatim ad Arithmeticam pertinet. Sic neque Aſtrologia, quia ſideribus abutitur, inter Aſtronomiæ

miæ partes reponi debet. Aſtronomiam veram eſſe, omnes libenter docti confitentur. Aſtrologiam falſam eſſe, cũ alij multi, tum Deus ipſe docuit in Sacris literis. Tu igitur incertiſſimum certi, contingens neceſſarij, per accidens contingens eius quod per ſe euenit, falſum: & quod eſſe nequit, veri ac neceſſario veri partem arbitraris? Non ſi ſapis. Mathematica ſunt certiſſima, Aſtrologica vobiſmet teſtibus maximè incerta & dubia. Quare veram te antè probare Aſtrologiam oportet, quàm Aſtronomiæ partem facias.

Sex tuas rationes omnino Aſtrologicas, hoc eſt, euanidas, elumbes, friuolas eſſe omnino perſpicis, ſi non te cæcum reddidit Aſtrologia. Meas autem rationes ita ſuo loco perſiſtere intelligis, vt ne pilum vnum dimoueri ab omnibus tuis arietibus quiuerint. Prima tua ex commemoratis ſola ſpeciem aliquam habebat, quam tamen ita perſpicuè oſtendi vanam eſſe nihilq; probare, vt nihil te deſideraturum meritò confidam. Cæteræ vix dignæ reſponſione videbantur. Tam malè cohærent, tamque infeliciter conſutæ ſunt, vt hiatum nemo non palpet.

In fine tuarum literarum hæc ſcribis: *Rogo ne ægrè feras, quòd durius aliquando te appellem. Feci, ut ſtylus appareret vehementior.* Hæc tua ſunt. Quæſo te, putabas me vehementiore oratione permotum ſtationem veritatemq; deſerere, & in Aſtrologorum caſtra transfugere uelle? Non iſta metuo, nec minas & conuicia pertimeſco. Solis argumentis terga do. Quòd ſi ignoſci tibi cupis, propter ea quòd ſtylum hoc modo acuere placuiſſet, ęquiſsimo iure me uiciſſim feres, cum à me durius aliquid dictum uideris. Quippe nõ vt ſtylum acuerem, ſed vt partim tuas accuſationes depellerem, partim veritatem ſtrenuè defenderem, quę duriuſcula vel acerbiuſculè dicta videantur, dixi. Puto me, ſi tuas literas cum meis contuleris, modeſtiſsimè ſcripſiſſe. Nõ opus erat iſta deprecatione. Nam, vt aliàs monui, non tam alios ſine perturbatione & odio refellere, quã ab alijs quoties à vero diſcedere videor, ſine dolore refelli paratus ſum. Vale feliciſs. Non. Octob. Anno 1558. Heidelbergæ.

EPISTOLA XIII.

Thom. Eraſtus viro clariß. D. Petro Lothichio S. Medico, S. D.

DIſceptationis quam nuper, vir ornatiſsime & clariſsime de ortu, natura, motu, viribus Cometarũ inter nos habuimus, adeò non memineram amplius, vt nunquam recordaturas viderer, ſi non miſſo ad me libro in memoriã reuocaſſes. Nõ enim ex profeſſo in eã diſſertationẽ, ſed caſu quodã incideramus. Nec eo ſtudio ego tũ quicquã aſſerebã, quo, cũ cõſultò aliquid ago, aſſerere ſoleo. Vbi verò librũ miſiſſes, ac locum conſignatũ inſpicere iuſſiſſes, minimè fuit difficile cunctorũ reminiſci, preſertim cũ recens adhuc res eſſet. Ceteris aũt omnibus, de quibus nõ admodũ diſcordantes habebamus ſentẽtias, omiſſis, de motu Cometarum, in quo plurimum diſſentiebamus, & illis quæ præterea exponi tibi volebas tunc, in præſentia quantum res poſtulare videbitur, dicam. Non aliud à me petere iam videris, cum de hac re duntaxat legere me, commonſtrato per puerum loco, librum iubes. Quo res clarior ſit, & nihil me falſi dixiſſe magis perſpiciatur, rem totam vt geſta eſt, breuiter repetam.

Cum amicis quibuſdã & diſcipulis obiter inſoliti caloris cauſſas reddere tẽtaremus, & in ea narratione mentionẽ Cometæ, qui illis diebus apparuerat, feciſſem, ſignũ ipſum eſſe affirmaui, multitudine & copia ſiccarũ exhalationũ aërem craſſiorẽ redditũ fuiſſe, atq; ideo impreſſum à Solis radijs calorẽ pertinacius retinere. Quia verò neq; magnus, neq; vehementer ardens, neq; diu apparuiſſet, indicia nobis ea eſſe, nõ tam multos in ipſo vapores ſiue halitus potuiſſe contineri, quot ſæpe in alijs animaduertiſſemus. Hæc tu cum audires, reſpondebas cauſſam, quòd minus fuiſſet ſplendidus obſcureque palluiſſet, non in materiæ qualitatem & copiam, ſed multò magis in Saturnum, à quo eſſet accenſus & ductus, referri debere. Nullũ etenim naſci, qui non à planetarũ aliquo ſuccenderetur ac moueretur.

retur. Hoc ego cum mihi veriſimile fieri non poſſe dicerem, propterea quòd frequenter extra Zodiacum apparerent, nullaq; certa lege ſæpe iam huc iam illuc inclinarẽt, iã tardè, mox celerrimè mouerẽtur, & deniq; nullius planetæ motum ſeruarent: tu contrà, demonſtrari poſſe rem ita habere, & iam pridem demonſtratum fuiſſe, demũque omnes Aſtrologos ita ſemper ſenſiſſe aiebas. Omnium namq; ſæculorum obſeruationem ita rem habere demonſtraſſe.

Quomodo, inquam ego, demonſtrari potuit, cuius cauſſa propria & proxima ignoratur? Vbi reperietur cauſſa huius affectionis in Cometis, quod motũ planetæ potius ſequi eos oporteat, quàm ſtellæ alius cuiuslibet? Non enim videre me potuiſſe hanc apud vllum probatum authorem cauſſam. Cometas ita ab exhalationibus generari, vt reliquæ traiectiones, eãdemq; materiam vtrorũq; eſſe. Quod ſi illi non niſi à planeta ducantur & attrahantur, conſectarium videri, vt hæ quoq; ab iiſdem ducantur. Non generari eos certo & ſtatuto tempore, vt eclypſes, non ab vna eademq; cauſſa, non ex vna ſemper & æquali materia. Deniq; tam eſſe in his, quàm in cæteris meteoris incerta omnia, ortum motumq; eorum tum ſolum ſciri, cum præſentia fuiſſent aut eſſent. Formis differre, effectricem cauſſam & materiam eaſdem eſſe.

Durare Cometas longiore tempore, moueriq; non tam celeriter, ſed magis accedere ad ſtellarum motus. Cauſſam diſſimilitudinis quæri à philoſophis & inueniri etiam in materię caliditate, ſiccitate, raritate, denſitate, lentore, grauitate, leuitate, multitudine, craſſitudine, paucitate, diſtractione, coagulatione, inclinatione, agitatione, impulſione ventorum, & ſimilibus materiæ qualitatibus.

Ratiocinationem hanc tuam, Aſtrologi ita cuncti ſentiunt, ergo verum eſt, nec veram nec neceſſariam mihi videri. Omnibus hoc ſæculis ita obſeruatum non poſſe dici, cum Ariſtoteles dicat, obſeruatum inerrantes ſtellas aliquando materiam attraxiſſe, ſuoque motu circumduxiſſe. Talem etiam cometam Olympiodorum à ſe viſum ſcri-

Ad hæc tu, vehementer te admirari meam imprudentiã, imò potius temeritatem, quòd certa & confeſſa omnibus in dubium & controuerſiam vocare nihil vererer. Facile eſſe omnia negare, at cum eiuſmodi ne diſputandum quidem eſſe, ſapientes rectè prudenterq; præcepiſſe. Hîc me nihil affirmare dixi, quod non à clariſsimis antè viris comprobatum certò ſcirem. Itaque ex Ariſtotele eiuſdemq; interpretibus, quæ memoria tenebam, (Tenebam autẽ pleràq; adhuc, quod ſub apparitionem Cometæ, de hac re diſputationes eorum attentè perlegiſſem) attuli.

Tandem non eſſe opus authorum teſtimonio dixi, vbi ſenſus controuerſiam dirimere poſſent. Iudicare autem et videre nos oculis motus ipſorum ἀνωμαλίαν, nec poſſe eos ad vllius ſæpe Planetę motũ aptari. Tametſi enim Planetæ errarent, & alij alijs motibus cierentur, eſſe tamen ſingulorũ motus certos & regulares. At cometas iam tardè, mox celerrimè progredi, paulò pòſt ſubſiſtere videri, & repentè aliquando curſum incœptum inflectere, atq; aut ad latus declinare, aut retrorſum contendere.

Hanc tu conuerſionem ad retrogradationem Planetarum vocatam pertinere aiebas. Ego verò Planetas nõ retrogredi, ſed nobis ita nonnunquam videri, cum inter cætera hîc dicerem, ſeuerè monebas, ne Mathematicorũ dogmata ſubuertere tentarem, magno meo malo. Non eſſe de eo dubitandum, quod ſummo ab omnibus doctis conſenſu eſſet ſemper approbatum. Ego quid hic dicerem aliud, quàm vt Mathematicos conſuleres ſuper hac re, ſiq; aliter illi rem habere te docerent, errorem me meum libenter cõfeſſurum. Multò magis mirabar, te Aſtrologię patrocinari voluiſſe ſine cauſſa, nec tamen principia eorum, quę huc pertinerent, perdidiciſſe. Quia conſiliun ſecutus es, eosq; conſuluiſti, & verè id à me dictum fuiſſe, te intellexiſſe mihi ſignificaſti, nulla nobis porrò hac de re controuerſia erit.

Hoc te permouiſſe, ais, quòd ex falſis ſuppoſitis, non videres, quomodo vera demonſtrarentur. In philoſophia nõ ſemel impoſsibilia, vt ſic appellem, ſupponuntur, vt ex illi veri-

veritas propoſitarum rerum inueſtigetur. Quod cum faci- mus,nec alios,nec nos ipſos fallimus. Ponimus ſubſtãtiam corporatam aliquando à quantitate & qualitate ſeparatim conſiderandam.Ponimus materiam primam omnibus ca- rere formis. Ponimus Aethyopem candidiſſimum eſſe, & huius generis infinita alia,ex quibus alia deinde rectè con- cludimus. Non enim philoſophi ex his poſitis ita ratioci- nantur vt Aſtrologi,ſed verum hoc modo indagare ſolent. Sic Aſtronomi quæ non ſunt,eſſe ponunt,vt quæ ſunt hinc inueniant.

Tota Mathematica diſciplina conſtat ex talibus princi- pijs,mente ſcilicet ſeparatis rebus intentibus.Quòd ſi phi- loſophus aliquis ita argumentetur, ponimus ſubſtantiam aliquã corporatam carere omnibus qualitatibus: ergo ta- lis aliqua in rerũ natura extat. Vel ſic: Materia ponitur ca- rere omnibus formis & qualitatibus, ergo reperitur alicu- bi talis.Si,inquam,aliquis ita argumentetur,an nõ rideatur ab omnibus doctis? Similiter non valet, Lineæ Mathema- ticæ ponuntur extra ſubiectum, ergo re vera inueniuntur abſtractæ. Fuit qui Mathematicas diſciplinas falſas exiſti- maret, propterea quòd non prorſus eandem reperiret ra- tionem in Mathematicis lineis ac ſuperficiebus, & in illis quæ in ſubiectis corporibus inſunt. Quamobrem nõ rectè argumentabuntur Aſtrologi, Planetæ ponuntur retrogre- di,ergo verè retrogrediuntur.

Quòd ſi aliquis mihi hîc obijciat,Aſtrologos non ita ra- tiocinari, reſpondeo ipſos re vera ita argumentari. Dum enim ita colligunt, cum Planeta retrogreditur, Cometam qui prorſum antea mouebatur,retrorſum ire cogit,ſiue re- trahit ab inſtituto curſu,& in contrariam partem impellit, nihil aliud propè affirmat. Argumentũ certè vim roburq;, ſi valeat,inde habere oportebit,quod retrocedere verè po- natur. Si namq; hoc non ſit verum,quomodo aliquid effi- ciet? Quod enim non eſt in rerum natura, id ne agere qui- dem aliquid poterit,vt omnes homines nõ amentes liben- ter fatentur & præclarè intelligunt. Non verius eſt bis qua- tuor octo facere, quàm hoc eſt. Quò fit, vt ratio tua valere

Digitized by Google

nullo modo poſſit, nec retrogreſſio Cometarum à Planetarum retrogradatione tanquam ab efficiente cauſſa perficiatur, vt quæ in rerum natura non extet.

Quanquam ſi ea extet, nihil admodum Aſtrologos iuuet, præſertim ſi Heliodorus rectè docuit, retrogredientes Planetas nõ aliter agere, quàm cũ progrediũtur. Efficacius autẽ agere, cum propiores ſunt, imbecillius cũ plus abſunt. Iam propinquiores terræ ſunt, cum retrogredi videntur.

Quare Cometam qui prorſum antè ferebatur, nõ retrahet, ſed magis quàm antè impellet. Virtus enim Planetæ non mutata, ſed efficacior eſt reddita, cum retrorſum ferri videtur, iuxta Heliodori opinionẽ, magni nominis Aſtrologi. Sed fruſtra hęc tã multis apud te expono, qui ab Aſtronomis & Mathematicis perſuaſus iam es, nullas eſſe Planetarum retrogradationes, ſed apparere tantùm. Etenim inter φαινόμενα, non inter ea, quę verè extant, numeratur Planetarum retroceſſio.

In libro, quem mihi miſiſti, opinionem tuam probatam nõ rectè credis. Aduerſatur enim author tuæ ſentẽtiæ omnino plurimum. In 2. & 3. argumento, quibus probat, cometas non eſſe ſtellas, ita ſcribit: *Cometæ non apparent vllis ſtatis temporibus, & cum fulgent, motus habent diſsimilimos.* Et mox: *Deinde nec regulari motu aut certo feruntur.* In 4. argumento: *Et varietas ac diſsimilitudo motus, non obſcurè ſignificat, materiam eſſe halitũ in aere. Non vno aliquo loco, non ſpacio certo oritur aut vehitur, ſed aliâs alibi incenduntur, & variè agitantur, propemodum vt aliæ traiectiones.* Hiſce iam, ſi libet, adde: ſed Planetæ habẽt motus certos. Concludes inde, non ſemper motu Planetarum moueri.

Velim hîc obiter illud etiam notes, non poſſe ortum eorũ prædici, niſi fortaſſe caſu aliquãdo euentus & forte fortuna reſpõdeat prædictioni. Si namq; nec loco nec tempore nec cœli ſpacio certo oriuntur, ſed inſtar traiectionum naſcuntur & propemodum agitantur: facilè apparet, incertum eſſe eorum ortum, nullaq; præſciri eum arte poſſe.

Verumenimuerò reſpõdebis hîc mihi fortaſſe, nihil adducta teſtimonia probare. Nã authorem diuerſitatem ſeu diſſimi-

diſſimilitudinem motus Cometarum in diuerſis conſiderare. Iam nihil prohibere, quin motum nihilominus ſinguli alicuius Planetæ ſequantur, cum etiam Planetæ diuerſiſſimis moueantur motibus, quantumuis ſinguli ſuos habeant peculiares & certos. Non difficile mihi foret oſtendere, verba authoris ita eſſe intelligenda, vt ego intelligo, præſertim cum falſum ſit Cometas irregulari motu cieri, ſi Planetæ alicuius motum imitentur, quos regulares eſſe conſtat. Cõparatione tantum dicuntur motus habere magis minusq́; regulares. Deinde fatetur idem author, materiam Cometarum nõ ſemper à Planetis eleuari atq; attrahi, ſicut nuper tibi ex Ariſtot. & Olympiodori obſeruatione probaui. Si ab alia ſtella attrahitur, ab eadem etiam duci valde eſt probabile.

Sed cõcedam hoc loco, (quia de huius duntaxat authoris ſententia concertatio eſt) te prædicta verba interpretari vt voles, cũ apertiſſimis ipſius verbis alijs oſtendere propoſitum queam. Nam cum ad 1. argumentum Senecæ reſpondet, ſic ſcribit: *Antecedens non eſt perpetuò verum. Sæpe enim prorſus irregulari motu vagantur extra Zodiacum. (Hoc eſt, non ſequũtur ſignorum ordinem, nec alium quoq; vllum, vt ponebat in antecedente Seneca) deinde etiam cum vehuntur iuxta ſignorum ordinẽ, id fit prorſus per accidens. Rapitur enim materia alicuius Planetæ viribus, à quo inflammata eſt.* Non hîc apertè dicit, Cometarum motus interdum prorſus eſſe irregulares? Regulares autem tum fieri, cum à Planeta materia illa rapiatur? Ergo aliquando nõ feruntur Planetarũ motibus. Idem ſenſus docet, quod hic author dixit. Nullus autẽ ſenſilium melior eſt certiorq́; iudex, quàm ſenſus. Idẽ Ariſtotelem atq; Olympiodorum cenſuiſſe, ſuprà indicaui.

Certum eſt inerrantes ſtellas nõ moueri Planetarũ motibus. Quare ne Cometæ quidẽ, qui harũ ſtellarũ motibus cientur, Planetarũ motus imitãtur. Nõ minus certũ eſt, traiectiones ſiue impreſſiões igneas planetarũ motus nõ ſemper, imò raro admodũ, ſequi. Materiæ motũ ſequũtur magis quàm ſtellarum. Porrò Cometas ex eadem gigni materia, & eodem propè modo, vel hic tuus author confitetur.

Digitized by Google

Sententia eadem eſt Ariſtotelis, qui non niſi materiæ denſitate, duratione & ſimilibus qualitatibus differre arbitratus eſt Cometas & traiectiones. Nec dubitare videtur quin à traiectione Cometæ aliquando incendantur. Cum enim materia in loco aliquo conglobata eſt, & pars tenuior inſtar radij cuiuſdam longius extenditur, ignemq́; concipit, ignis per tenuiorem materiæ partem celerrimè diſcurrēs, vbi in craſſiorem deuenerit, ſiſtitur.

Ex quibus liquet, non moueri eos ſemper aut neceſſariò motu Planetarum, quemadmodū neq; traiectiones. Hinc illud etiam intelligi poterit, cur modò huc, modò illuc inclinent moueanturq́;. Sequitur enim materiā inſtar ignis, quæ iam in hanc, iam in illam partem exporrecta eſt, prout collecta in vno loco magis eſt, quàm in alio. Sæpe à vento in vnum aliquem locum cogitur. Certè ex motu traiectionum ventos ſpiraturos præuidemus ab illa parte, vnde ipſos moueri conſpeximus. Huc etiam facit loci conſideratio, ex quo continuè halitus iſti aſcendunt. Confirmat hæc omnia, quod Philoponus ſcribit, Ammonium Cometam vidiſſe, cuius vna pars magis quàm aliæ ſplendeſceret. Pars vna extinguebatur, dum alia quæpiam magis accendebatur, ſicut in facibus quibuſdam cōtingere aliquando ſolet.

Cæterùm motu primi mobilis circumducuntur Cometæ, ſed plurimum ὑπολείπεται, vt & aer, in quo eſt, propter materiæ ineptitudinem. Quòd ſi caſu propter nuper commemoratas & alias ſimiles cauſſas prope Zodiacum materia conſtiterit, & deinde à motu primi mobilis magis magisq́; relinquitur, mirum non eſt, quod inſtar ſtellæ certo videatur motu per Zodiacum ferri. Motum Planetarum tunc ſolum ſequuntur, cum ab aliquo ex ipſis materia eſt attracta, vt comā ei feciſſe videatur. Vnde pateſcit, non eſſe verum quod Aſtrologi nugantur, à certa ſolum conſtellatione materiā pro Cometa attrahi. de qua re alibi firmiora diximus. Et vt verum eſſet, falſum nihilominus foret, præuideri eorū ortum poſſe. Nam qui in actione qualibet vel agens ſolum, vel patiens ſolum conſiderat, neceſſariò plerunq; fallitur. Sed nec philoſophi aut prudentis intelligen-

tisq́;

tisq; hominis eſt,ex agẽtis natura velle de effectibus,ignorata paſſi natura & aptitudine, cõiectare. Cæterùm de iſtis hoc loco diſſerere non fuit propoſitum. Quare finem faciam, præſertim cum mihi perſuadeam,me, quod probare debebam, validiſſimè probaſſe, Cometas non ſemper motu Planetarũ moueri. Iam quod præterea ex me ſcire deſideras,quomodo Cometas negẽ principum mortes ſignificare, & peſtem mortalibus adferre, breuiter quidem, ſed apertè tamen ediſſeram. Cometas ſignificare aerem, quo tempore ipſi apparent, halitibus refertum eſſe, concedi ab omnibus ſcio. Quanto maiores ſunt, longioreq; tempore apparẽt, tanto maiorem in aëre halituum copiam collectã eſſe neceſſariũ prorſus eſt. Etenim ex tali materia ipſi conſtant,imò nil ſunt aliud, quàm exhalatio conglobata & incenſa. Quare neceſſe eſt, ſi magni ſint,magnã etiam exhalationum copiam de terra aſcendiſſe.

Quòd ſi longo tempore ardeant, præterquã quòd craſſiorem indicant eſſe materiam denſioremq;,neceſſe eſt, vt infernè continuè alimentum accedat, quo foueantur. Ne cogitari quidem aut fingi poteſt, quomodo vapor ſiue exhalatio tot diebus & ſeptimanis, interdum etiam mẽſibus ignem ſuſtineat, ſi non recens materia ſemper ſuccedat. Quàm celeriter materiã talem, preſertim tenuiorem ignis deuoret ac abſumat, cũ alia meteora ignita, tum ſtellæ cadentes nominatæ perſpicuè demonſtrãt, quemadmodum fulgura quoq;.Celerrimè namq; ignis per eam diſcurrit,illo ferè modo, quo per puluerem illum tormentarium diſcurrit. Dubium non eſt, Cometæ materiam denſiorem, craſſiorem,magisq; lentam eſſe,quàm aliorum ignitorum meteororum,quæ celeriter poſtquam orta ſunt,iterum diſparent ac diſſipantur. At quantumcunq; lentam, craſſam, denſam imagineris, igni tanto tempore nunquam reſiſtet, niſi continuè renouetur Etenim ne denſiſſima quidem ligna vim actionemq; ignis tam diu ſufferãt ſiue perferant. Quæ idcirco commemorò,vt rectè me poſuiſſe liqueat,argumentum ipſos eſſe referti aëris craſſis lentisq; vaporibus. Certum illud etiam eſt,ignem in ea materia accẽſum,

Digitized by Google

ad ſe non ex vicina tantum,ſed etiam remotiore aeris parte exhalationes omnis generis attrahere,quantum omnino attrahere poteſt.Quod non de illis tantum intelligi debet, quæ infernè aſcendunt, ſed etiam de illis, quæ per aerem antea ſparſæ fuerant.

His ita poſitis,quæ negari à nemine poſſunt, alterum ex duobus conſequatur oportet,nempe, vt vel conſumi hanc materiæ maximam partem contingat, vel in aere relinqui. Non de illa tantum halituum parte, quæ accēſa eſt loquor (hāc enim cōſumi aut ſemper,aut ferè ſemper,nemo,puto, ambigit)ſed de omnibus per aerem vicinum diſperſis,deq; terra eleuatis. Ab his ſi aer repurgatus fuerit, neceſſe eſt, vt qui relicti ſunt, rariores, tenuiores, aridioresq; effecti ſint, ac lentorem maxima ex parte exuerint.Vnde neceſſum eſt, ventos & ſiccitatem aeris conſequi, id quod plerunq; euenire tum nos videmus,tum antiqui obſeruarunt. Ariſtotelem eiuſdemq; interpretes hîc conſulas moneo, qui hanc rem, vt cætera propemodum omnia, pulcherrimè accuratiſſimeq; explanant.

Si verò certa occaſione eueniat, vt aer non expurgetur ab halitibus craſſis ac lentis,& ſequens aeris cōſtitutio eoſdem vel non diſpulerit,vel etiam auxerit:facilè putreſcent, præſertim ſi vel venti humidi & pluuiæ accedant,vel multi de terra vapores certa de cauſſa eleuentur.Non enim omnibus temporibus aut ſupra aut infra terram æqualis vaporum exhalationumúe copia ſuſcitatur: id quod neminē negaturum cōfido. Nec ego ſum,qui primus id dico. Dixit ante me Ariſtoteles ſæpe,& longa admodum oratione in 2. Meteororū expoſuit.Preterea non ſunt vnius ſemper naturæ vapores,qui tolluntur de terra in aerē. Ex quo fit,vt nūc ventoſus,nunc pluuius, nūc aliter affectus ſit annus. Siquidē igitur nō expurgetur ab expirationibus aer, & aliæ eiuſdem generis præterea accedāt,peſtē generari nō eſt mirū.

An verò poſt extinctionem Cometæ, in aere exhalationū magna vis remanſerit,ex alijs eſt quàm ex Cometa coniectandum. Quanquam nō negem,ex magnitudine ipſius, ex duratione,ex augmento, ex decremento, ex motu & inclina-

clinatione, deniq; ex ipſius extinctione cõiecturas nõ omnino leues ſumi poſſe. Hoc tamẽ certũ eſt, rarò ita euenire, vt nõ poſt Cometã purior ſit aer multo quàm antè fuerit.

Neq; ego Cometam adferre peſtem inter concertandũ dixi, ſed fieri poſſe, vt aliquando ipſius extinctionem peſtis conſequatur, affirmaui. Huius peſtis nõ Cometa cauſſa fuerit, ſed illa, quæ Cometam generauit. Hãc enim peſtem generaſſe rectius veriusq; dixeris, quàm Cometam. Hic enim aliud nihil eſt, quàm accenſus vapor, qui ab igne plerunq; conſumitur. Et qui non abſumitur, ita ſaltem attenuatur & diſijcitur, vt altius aſcendat, & in ſuprema aeris regione totus pereat. Quę autẽ cauſa hunc vaporem extulit, & in aere conglobauit, eadem etiam peſti materiam ſuppeditat, ſi nõ maxima ex parte conſumatur.

Si ante extinguatur, quàm halituum maximam partem diſſoluerit, quacunq; tandẽ ratione accidiſſe intelligatur, non dicetur propriè cauſſa eſſe, tametſi per accidens cauſſa dici queat. Quomodo enim aliquid effecerit, cum eſt extinctus? Quæ cauſſa eum extinxit, ea propius accedit, vt peſtis cauſſa exiſtimetur, tametſi hic quoq; per accidẽs id ſequatur. Sed hac de re nimis multa.

Frequẽtius accidit, vt poſt Cometã aer nõ tã multis vaporibus repletus exiſtat, ſed q humidiores fuerãt, pluuijsq; generãdis apti, exiccẽtur, & flatuũ ventorũq; apta materia fiãt, ſiccitatẽq; pariãt. Superiore anno 1556. qualis quãtusq; per hyemẽ Cometa apparuerit, vidiſti. Quãta ſiccitas eũ ſecuta ſit, præclarè omnes meminimus. Is quẽ ꝓximè aliquot noctibus diligẽter contemplatus nobiſcũ es, citò extinctus eſt, & non magnus fuit. Nihilominus calor eũ ſolito maior & exoptatiſſima ſiccitas cum ventis ſiccis cõſecuta ſtatim eſt, quæ iam tertium ferè perdurat menſem.

Prioris generis cometæ, vix rectè ab aliquo dicãtur credantúrue occidere Principes. Etſi nãq; peſtis eos ſequatur, eo modo quo diximus, plures tamẽ ex vulgo pereũt, quàm ex nobilibus & opulentis, niſi omnino ſæua ſit latiſſiméq; regnet. Ditiores enim aut remedijs opportunis arcent, aut loco idoneo ſibi cauent, infecta loca deſerentes.

De poſterioribus quid dicam nō habeo. Neq; vnquã, poſtea quàm has res vtcũq; intelligere cœpi, credidi Cometas aut ſignũ aut cauſſã mortis Principũ eſſe. Nã quomodo ſint, ne Aſtrologi quidẽ exponere poterũt. Sed nō ideo non eſſe eos aut ſigna aut cauſſas dico, quia quomodo aut alterutrum aut vtrũq; ſint nō video: ſed quia multi apparẽt, cũ nullus Princeps moritur: & multi occumbũt Principes, cũ nullus illis prælucet Cometa. Quæ ſit materia Cometarũ, ſi perpẽdere volemus, quomodo generẽtur, quæ forma, facilè apparebit, tam nō eſſe eos aut ſigna aut cauſſas interitus Principum, quàm nō ſunt alterutrũ cæteræ omnes traiectiones. Vt vno me verbo expediã, & rationi & euidentiæ ſiue experiẽtiæ non cōſentire certò ſcio. Multo plures ſummi Principes & Monarchæ moriuntur ſine præcedẽte Cometa, quàm cũ Cometis. Sępenumero inſignes apparuerũt Cometę, poſt quos longo tẽpore nullus Princeps mortuus fuit. Si quãdo accidit, ſatis apparet caſu ita cōtigiſſe, vt tum aliquis obiret mortem, cum Cometa nuper apparuiſſet.

Videtur hęc opinio inde nata eſſe, qđ inter aëreos ignes ita penè excellit Cometa, vt inter mortales hic Principes illuſtriores ſunt, magisq; celebres. Sed quàm vanè hoc ad hanc rem aptetur, nemini non videre licet.

Nō neſcio interim, q̃d Ariſtotelis aliqui expoſitores hîc cōmenti ſint. Cum ex Ariſtotele didiciſſent, Ventorũ & ſiccitatis indicia & cauſſas modo expoſito ipſos eſſe, ſic ratiocinati ſunt quidam: Conſtitutione ſicca & calida aeris lędi corpora neceſſe eſt, præſertim verò imbecilliora & delicatiora. Talia ferè ſunt Principum, quippe qui nec laboribus, nec perferẽdæ aeris iniuriæ ſatis aſſuefacti ſunt, & præterea delicatè viuunt, in ocio degunt, corpus vitioſis humoribus replent. Quare promtius ab aeris intemperie tales læduntur, atq; vitam cum morte frequenter commutant.

Quòd ſi hoc modo & cauſſæ & ſigna perhibeantur eſſe interitus Principum, nō repugno, modò longiſſimè petita iſta cogites. Equidem per accidẽs omnino & ſigna & cauſſæ erunt mortis Principum. Nã ſi multos alios Principum more viuere contingat, neceſſe eſt, vt non minus his, quàm Prin-

Digitized by Google

principibus exitium minitentur & creent. Quod illi ipſi huius authores ſententiæ concedunt: quare non magis principibus, quàm alijs ominoſi ſunt hoc pacto Cometæ. Si probare hanc ſententiam potes, facile patior. At hac ratione omnis, à quacunq; cauſſa orta ſit, aëris calida ſiccaq; intemperies, non minus quàm Cometæ, exitioſa principibus dicenda erit.

Quod de Porphyrij ſententia in pręſenti cauſa legimus, nihil aliud probat, quàm incerta eſſe omnia, quæ Aſtrologi vaticinati ſunt de Cometarum effectionibus. Nō enim non volunt hinc etiam ſuæ vanitati cōmendationem aucupari, quamuis ad Aſtrologiam hæc res non propriè pertineat. Eſt enim Cometa non in cœlo, ſed in aëre. Sic ergo Porphyrius: *Si ad Auſtrum deferantur, pluuias dabunt. Si ad Boreales cœli plagas tendant, ſiccitates denotant. Si ad occaſum præcipitentur, egregiam anni conſtitutionem futuram ſignificant. Sin ad ortum vergant, peſtes noxiosq; alios morbos, quibus nequicquam manum Medicam admoueas, prænunciant.* Hæc Porphyrij, ſi iuxta modum ſuprà à nobis expoſitum accipiantur, non carebunt ratione. Sin aliter interpreteris, ſatis conſtat, rationi ea non conſentire, nec euentus ſemper reſpondere. Certè videtur ita intellexiſſe, vti iam demonſtraui. Ad Auſtrum inclinantes indicium faciunt plurimarum exhalationum. Sed de his ſuprà ſatis.

Hactenus perſpicuè, vt arbitror, & meam ſententiam veram eſſe oſtendi de motu Cometarum, & quomodo Principum interitus ac peſtis vel ſigna vel cauſſæ dici poſſe videantur, expoſui. Obiter etiam naturam, generationem, cauſſam motus ipſorum iuxta ſignorum ordinem, ſi aliquando ita moueantur, declaraui. Omnia verò ſatis, puto, copioſe, breuius tamen quàm res poſcere videretur tractaui, propterea quòd negocijs impeditus aliter non poſſem. Feſtinationi igitur noſtræ ignoſces, ſpero, cum quod deſiderabis addi ſemper à nobis queat. Vale feliciſs. Ex noſtro Muſęo. Anno 58.

Digitized by Google

EPISTOLA XIIII.

Thomas Eraſtus D. I. C. Medico, & Mathematico S. D.

QVod in fine literarum tuarũ à me petis, ne ægrè ferã te hac in re à me diſſentire, vir ornatiſſime, & omni mihi officiorũ genere colendiſſime, antea quã peteres impetraſti. Debẽt enim libera eſſe hominum iudicia, nõ ex alieno arbitrio pendere. Quare nõ modò nõ grauiter fero, ſed vehemẽter etiã iudiciũ ingeniũq; probo, ꝙ nõ temerè à tua ſentẽtia recedẽs, in alienam pedibus diſcedas. Sapientiſſimè namq; Galenus monuit, ne temerè cuiuis aſſentiremur, ſed rationum momenta prius diligenter ponderemus. Ego ex te vehemẽter diſcere cupio, qua in re potiſſimum erraſſe cenſeri poſſim. Vbi docueris, inſtar Doctoris & præceptoris meritò te colam, gratiasq; publicè priuatimq; agam vti debebo. Quod ad illa quinq; capita attinet, quæ in me reprehendis, culpa me omni uacare arbitror.

Nam quod ad primũ attinet, nihil vereor affirmare, me doctorũ hominũ de siderib. obſeruationes veras, & ratione nitẽtes nõ contẽnere, ſed omnino magni facere. Non hoc quero, quomodo ſidera ſuos effectus producant: ſed illud inqro, an ratione aliqua probari poſſit, à ſiderib. talia effici. Alia quæſtio eſt, cum, quomodo Rhabarbarum bilem purget, inquiritur, & cum, an probari poſſit bilẽ à Rhabarbaro educi, quæritur. Certè nemo facilè dicenti, Rhabarbarum bilẽ expurgare, credet, niſi vel ratione vel experientia verum eſſe doceri poſſe cognorit.

Hoc ſcire velimus, an ratione vel experientia probari queat, illos effectus, de quibus vaticinantur Aſtrologi, à ſiderib. velnti à cauſſis per ſe, & nõ accidens proficiſci. Quod ſi experiẽtia id oſtendi poſſet, credere nos vtiq; oporteret in ſideribus poteſtatem ineſſe, qua hæc perficerent. Si verò nec ratione nec experientia demonſtrari poſſit, nemo certè doctus credet, talia à ſideribus effici, præſertim cum veræ & proximæ cauſſæ notę ſunt. Si quis rectè confutet rationes,

rationes, quas attuli paucas ad probandum, Aſtrologos nō poſſe experientia probare, quòd tales effectus à ſideribus efficiantur, fortaſſe credam aliquid huic veſtræ experiētiæ. Non ſequitur, Aſtrologi prædicunt interdum aliqd, ꝙ ita ferè vſuuenit: ergo Aſtrologia vera ſimul & ars eſt. Non enim vlla eſt tam inepta diuinādi ratio, quā nō artē eſſe, & quidem veram ſis probaturus, ſi hæc ratio valeat.

Non ſatis eſt, vt aliquid, quod Aſtrologus euenturum prędixerit, acciderit, ſed à ſiderum tali poſitu effectum fuiſſe probare oportet. Plurima eorum ita euenerunt, vt Aruſpices euentura dixerunt: at probari non poterit, aues iſta naturaliter ſignificaſſe. Plurima hodie, cuius rei teſtis eſſe certiſsimus poſſum, Geomantes prædiuinant ex punctis ſuis, vt ipſi quidē opinantur, quę ſic eueniunt ferè poſtea: at hinc non dices cōſequi, vt vel ars ſit dicenda Geomātia, vel vera exiſtimanda. Rhabarbarum probare facilè poſſumus bilem extra corpus exigere, quo fit vt nemo dubitet, quantumuis cauſſam huius effectus ignorent. Docet namque experientia ita rem habere, quæcunque tandem eius rei cauſſa ponatur. Ergo non nego experientiam, ſed hoc nego, experientia oſtendi probariq; poſſe, tales effectus à ſideribus, vt per ſe cauſſa, effici.

Alterum caput accuſationis eſt, me perpetuò ridere eruditas doctorum hominum de his rebus coniecturas. Puto te intelligere, me de Aſtrologicis, non alijs vllis obſeruationibus loqui, in quibus nihil eruditi reperiri poſſe exiſtimo. Quare non eruditas, ſed Aſtrologicas, hoc eſt, vanas & friuolas coniecturas deſpicio.

Tertio illud tibi diſplicet, quòd non videam, quam ſideralium effectuum notitia pulchritudinem habeat in natura. Ego non ſolum, quam pulchritudinem habeat mediocriter video, ſed etiā quàm ſit neceſſaria omnibus bus eorum virtus, præclarè intelligo. Illos autem effectus, de quibus Aſtrologi diuinant, à ſideribus non niſi per accidens euenire certiſſimum eſt. Quare non eſt, vt eos valdè admirer, tanquam arte præcognoſci in ſideribus poſſint.

Digitized by Google

Quarto loco damnas, quòd putem nullam eſſe homini cum cœlo cognationem, & non eſſe in temperamentorũ varietate interdum ad cœleſtes cauſſas reſpiciendum. Prius nemo ex me vnquam audiuit. Sol & homo, inquit Magiſter Ariſtoteles, generat hominem. Non vbiq; ego & doceo & expono, cœlos eſſe generales horum inferiorũ cauſſas? Quomodo verò in uarietate temperamentorum ad cœleſtes cauſſas me reſpicere velis, non intelligo. Non enim magis temperamenta per ſe efficiunt ſidera, quã quid vis aliud, & quàm nos ipſos. Sidera cum homine generant hominem, nõ abſq; eo. Et cum ita temperatis hominibus, ita nõ aliter temperatos generant, cum aliter temperatis, aliter etiam temperatos gignũt. Si ergo hæc ita intelligis, nihil repugno, ſed tecum ſentio. Si verò vt Aſtrologi accipiunt, tu quoq; intelligas, optima ratione dico non tantũ non vtilem eſſe Medico eam conſiderationem: ſed etiam pernicioſam, idq; ex omnium doctorum Medicorum ſententia aſſeuero.

Quod poſtremò in me vituperas, id quoque nec dixi, nec credidi vnquam, ſcilicet omnium naturalium actionũ rationes methodo ex corporũ temperaturis deſumi poſſe. Scio permultas eſſe occultas rerum vires, quæ ex craſi nõ propriè pendent, tametſi abſq; certa craſi eſſe nequeunt. Scio formas rerum ſuas in ſubiectis rebus exercere operationes, quas nemo temperaturæ effectus exiſtimarit. Aſtrologos rideo, & meritò quidem, qui cum in veras & proximas cauſas referre tales rectè poſſunt, in generaliſsimas & remotiſsimas cauſſas, ſiderum videlicet miſtiones, deducunt. Qui in philoſophia mediocriter verſatus eſt, non ignorat quamlibet ſtellarum figuram, quomodocunq; ſeſe mutuo intueri dicantur, facultate vniuerſali hæc noſtra ia permutare, ita nimirum, vt ſingula perpeti apta ſunt. Nec refert, quòd non omnium eadem eſſe vis & potentia exiſtimatur.

Non igitur negamus magnam eſſe cœli vim in hæc inferiora. Nec illud etiam imus inficias, ſi ita velint Aſtrologi, cœleſtium vires differre, non tantum vt Solis & Lunę lu-

Digitized by Google

men differunt,ſed alia etiam ratione. Quanquam ſi accuratè & ex Ariſtotelis ſententia loqui velimus,non niſi maioris minorisq́; diſcrimen ſtatuemus. Sed ex omnibus iſtis confici pernegamus, cœleſtia particulares & propinquas horum, quæ hîc fiunt, & quorum prænotionem profitentur Aſtrologi,cauſſas exiſtere. Non enim hæc efficiunt cœleſtia, ſed ſecundæ,propriæ, proximæ, & per ſe cauſſæ, omnia talia generant & producunt,actu à cœleſtibus recepto, vt in libello expoſui, quorum à te iam refutationem expecto.

Non tibi concedo Aſtrologiam à doctis partim bonam, partim verò malam iudicari. Totam enim,quanta quanta eſt, friuolam exiſtimant, ac rationi,ſenſibus, philoſophiæ, pietati, aduerſari maximè affirmant. Nunquam probabis ideo ipſam à D.Baſilio & Auguſtino repudiatã & damnatã eſſe, quia pars ipſius aliqua tantum ſacrarum literarũ authoritatem imminuat. Totam totam,inquam,friuolam, vanam,falſam,impiam, aſſeuerarunt, quatenus de contingentibus futuris diuinat. Hactenus enim iudiciaria & diuinatrix eſt. Quod in ea præterea quiddam ineſſe aiunt,non ad hanc,ſed Aſtronomiam pertinet.

Auium naturam, motum, & huius cauſſam conſiderat Philoſophus naturalis. At quid futurum ſit, ſi in hac vel alia cœli regione volet vel conſideat, prædicere ad Augurij ſuperſtitionem pertinet. Valde miror,quomodo nõ ſis veritus hoc de Baſilio & Auguſtino affirmare. De Baſilio legere potes,quæ in Geneſim ſcripſit. Auguſtinus theologiæ ſtudioſum ne Aſtronomiam quidem,(quam tamen vtilem concedit, ad loca quædam ſcripturæ intelligenda,) perdiſcere permittit,hac de cauſa duntaxat,quòd Aſtrologiæ finitima eſt. Quomodo igitur partem Aſtrologiæ bonam ſeu veram concedat?

Non hi ſolùm,ſed alij omnes antiqui Theologi pariter & philoſophi,eandem vituperarunt & cõdemnarunt, Hieronymus Ambroſius,Athanaſius,Origenes,Euſebius,Martyr Cyprianus, Chryſoſtomus,Lactantius,Gregorius,Seuerianus,Nemeſius. Similiter philoſophi Gentilium,quicũq;

Digitized by Google

alicuius nominis & authoritatis fuerunt, ipſam deriſerunt & repudiarunt.

Iureconſulti quoq; Chriſtiani nō partem aliquā huius vanitatis, ſed totam prohibuerunt. Conſtantinus capitis pœna afficit Mathematicum, hoc eſt, Aſtrologum cōſulētem. Non addit is exceptionem hanc, ſi de talibus reb. cōſulat, quæ ſacrarum literarum authoritatem imminuant: ſed abſolutè occidi iubet omnes, qui Mathematicos de futuris rebus conſuluerint. In lege. 2. dicit Imperator, artem Geometriæ intereſſe Reipub. vt diſcatur, Mathematicam autem (ita tunc vocabant Aſtrologiam) damnalibem eſſe & omnino interdictam. Eodem ferè loco, ita argumentatur Imperator, ſiue lex.

Omnis diuinatio punienda eſt gladio.
Aſtrologia eſt diuinandi ſpecies.
Aſtrologia igiter capitali ſupplicio prohibenda eſt.

Execrari te dicis, quæ ſacræ ſcripturæ authoritatē minuunt, ꝙ meritò probo. Si ergo quę huius authoritatē quocūq; modo eleuāt ac diminuūt, verè deteſtaris, totā te diuinatricē Aſtrologiā deteſtari oportet. An tu credere potes, oēs Theologos veteres, quos & doctiſsimos & ſummos fuiſſe Philoſophos conſtat, tanto conſenſu Aſtrologiam dānaturos fuiſſe, ſi non perſpexiſſent, ipſam pietati & ſacrarū literarum veritati maximè aduerſari?

Libet hîc argumētum Pici obiter adducere. Argumētū eſt extra cauſſam, & ad hominē, ſcilicet Aſtrologos, hoc eſt, leue qdē, quod tamē eos perurgeat. Cum oſtēdimus Theologos (taceo iam Philoſophos & Imperatores) vniuerſam Aſtrologiā, excipere Aſtrologi ſolent, vt tu quoq; hîc facis, abuſum duntaxat ſiue partē ipſos dānare, nō totā Aſtrologiā. Rationē eſſe putatis, quia quędā in ea viderint nō ſatis pia & religioni conſona eſſe. Sic ergo ex Pico arguo: Aut piè, ſapienter & rectè fecerunt Theologi, quòd propter abuſum ſiue partem Aſtrologiæ, totam damnarunt, aut non rectè fecerunt. Poſterius hoc dici nequit. Non enim erraſſe vniuerſos vnà cum præclariſsimis Philoſophis et pijs Imperatorib. rectè credi poteſt. Nō inficior oēs erraſſe in multis:

tis:at oēs erraſſe in ea re,in qua cõſenſerunt, hoc eſt quod pernego. Nã ſi aliqua in re vna ipſorum aliquis errauit,alij errorē correxerunt ac indicarũt. Vbi inter ſe cõſentiũt,nõ facilè ipſos erraſſe demõſtraueris. At hac in re cõſentiunt omnino. Malè igitur putaueris eos hîc aberraſſe. Rectè ergo & piè fecerunt. Cur igitur nõ & vos eã abijcitis, & rectè factũ ſanctiſſimorũ hominum imitamini? Nullã illi honeſtã artē ſpreuerunt. At Aſtrologiam modis omnib. lacerarunt. Quòd ſi tot ac tanti viri Aſtrologiã ideo vituperarũt, ac vt diſceretur vetuerunt, quia aliquid ſolũ in ſe haberet vitij, vt tu ais, vel quia multi ea perperam vterentur, vt alij quidã affirmãt: quid exiſtimaturos fuiſſe cogitas, ſi totã vanã cognouiſſent? Ac re vera vanã illi totã eſſe peruiderunt, ideoq; execrati eam ſunt. Hæc reſpondere ad tuam accuſationem volui, expectans interim quomodo argumẽtis ſis confutaturus, quæ te refutare poſſe aiebas. Vale feliciter. 16. Ianuarij. Anno 59.

AD EVNDEM.

Epiſtola XV.

DVo tantũ te attingere velle, vir colendiſsime, ex illis, quę in meis literis cõtinentur, ſcribis. Primũ eſt, quòd ſcripſi, cœlum vniuerſalē cauſſam eſſe effectuum, de quibus Aſtrologi vaticinantur. Alterum, quòd per experientiã cognoſci poſſe negaui, an effectus eiuſmodi à ſideribus producti effectiq; ſint. Hæc duo leuiter te attingere uelle ſcribis. Maluiſſem te grauiter tractaſſe. Deinde vehementer cupiebã, vt argumẽta editi libelli confutaſſes, ſicut nõ eſſe tibi difficilè affirmabas. Neq; te excuſat, quòd iam nõ omnia te perluſtraſſe dicis. Illorum nãq; refutationē tantũ ex te diſcere deſiderabam, quæ perlegiſſes, & refellere poſſe videri volebas. Sed quia aliter tibi viſum eſt, libet hæc ipſa ordine expendere, quæ pro Aſtrologia adduxiſti.

Principiò rectè colligis, me in ea opinione eſſe, ut putē, aſtra cõcurrere ad generationē & effectionem omnium, quæ hîc fiunt à Natura. Rectè illud etiam me reſpondere aſſeris, vt generales cauſſas duntaxat concurrere, at

effectus nequaquam diſtinguere. Non rectè autem illud addis, Sauonarolam hac reſponſione prognoſtarũ de morte ſua ſententiam eludere voluiſſe. Nam ſuum hunc librũ anno 1497. conſcripſit, quo tempore neminem illi mortẽ prædixiſſe legi. Equidem hoſtis ipſius Bellantius, quicquid vel à ſe vel ab alijs prædictum cognouit, quod de illo quouis modo intelligi exponiq; poſſe iudicaretur, commemorat, ſed tale nihil recitat. Narrat Epiſcopum quendam ex magna Saturni & Iouis cõiunctione, quæ ante aliquot annos apparuerat, de aduentu falſi prophetæ, in genere tamen, prædiuinaſſe. Hanc Epiſcopi hariolationem iniquiſſimè pariter ac imperitiſsimè in Sauonarolam detorquet. Refert idem ſe quinq; ante ipſius obitum menſibus inſpecta ipſius genitura, prædixiſſe, ipſum ad hæreſim propenſum, vitamq; laqueo finiturum eſſe. At cõbuſtus eſt anno 1499. Ante ergo ediderat ſuum libellum, quàm Bellantius de ipſius morte vaticinatus fuiſſet. Sed quid hîc dixit Sauonarola, quod non ante eum Picus rectè veriſsimeq; dixiſſet? Num & hunc ideo dixiſſe dices, vt prognoſtas eluderet? Mirari magis debemus, quòd præuidere propriã calamitatem non potuit Bellantius, tantus ſcilicet vates, & tam oculatus in cognoſcenda aliena Aſtrologus.

Sed præſtiterit videre quàm docta fuerit Bellantij hariolatio. Multo iam tempore publicè priuatimq; docuerat Florentiæ Sauonarola.

Communionem ſub vtraque ſpecie percipiendam.

Indulgentias eſſe Paparum aucupia.

Primatum Papæ non eſſe iuris Diuini.

Claues non vni Petro, ſed toti Eccleſiæ traditas.

Papam ſuas traditiones pluris facere, quàm Chriſti meritum, atque Antichriſtum eſſe.

Excommunicationes Pontificias non metuendas eſſe, & huius generis alia plurima. An erat Bellantio hæc audienti (exulabat enim tunc Florentiæ) difficilè prædicere, quòd ad hæreſim inclinaret, occidendusq; à Pontifice eſſet? Qui illis temporibus talia docebat, pro hæretico ab omnibus habebatur. Ruſtici inter Papicolas nunc etiam

tantum

tantum habent ingenij, eruditionis, Aſtrologiæ.

Iam alterum conſideremus, vt Aſtrologorum ineptias propius videas. Occidendum prædixit. Cur quæſo? Quia hæreticus erat, reſpondebit. Cur hęreticus, rogo, erat? Quia Papam vocauit Antichriſtum, & cætera illa, quæ ſuprà connumeraui docuit. Omnes igitur nos hæretici cõburendiq́; Aſtrologorũ iudicio ſumus. Vehementer velim ſcire, quomodo ſtellæ falſos faciãt prophetas. Bellantius intemperatas ſtellas fures, homicidas efficere ait, corrumpendo ſpiritus, humores, & elemẽta natorum. Tale quid ergo efficiendo, falſos prophetas generabunt. Non enim animum per ſe afficere mutareq́;, ex omnium etiã Aſtrologorum ſententia, ſtellæ poſſunt. Sed friuola eſt, à ratione & philoſophia alieniſſima iſta imaginatio.

Impiam eſſe vident omnes, qui nõ prorſus nihil vident. Quomodo enim pulcherrima Dei opera, à ſui creatoris iuſſu nuſquam diſcedentia (carent enim ratione & voluntate, qua reſiſtere Dei præcepto queant) impellere ad ſcelera, imò ad hæreſim ſine impietate credemus? Deum certè authorem huius rei faciunt, quicunq; ſtellis hanc poteſtatem ſtultè tribuunt. Nihil enim cũ agant aliud, quàm quod agere à Deo, cuius voluntati repugnare non poſſunt, iuſſæ ſunt, & homicidas, adulteros, fures generent, patet ipſas ita à Deo iuſſas fuiſſe. Porrò qui alius mandata exequitur, per ſe & ex ſua natura ac ſentẽtia nihil agit, non niſi inſtrumentum eſt effectoris. Sicut igitur non calamus, ſed homo calamum ducẽs, ſcripturæ author effectorq́; rectè dicitur cogitaturq́;: ita neceſſe eſt, vt Aſtrologi confiteantur, Deũ eſſe ſcelerum authorem & effectorem. Vel ex vno iſto perſpicitur dogmatis impietas.

Sed Aſtrologorum etiam noſtri ſæculi præceptionibus idem repugnat. Sauonarolam intemperatæ ſtellæ falſum prophetã reddiderunt, corruptis videlicet ſpiritibus & humoribus ipſius, vnde occidendũ ipſum præuiderũt Aſtrologi. At fuit vir ſanctus & bonus Propheta factus, talisq́; ad finem vſq; permanſit, ac propter veritatis doctrinam, non propter vllum ſcelus, tandẽ occiſus eſt. Ergo intemperatæ

Digitized by Google

ſtellæ dū corruperūt ſpiritus Sauonarolę,vt falſū prophetā crearēt,verū ipſum Prophetā,ſanctū,& religioſum hominē effecerūt. Intēpatæ igitur ſtellę nōnunquā corrūpendo ſpiritus,humores, & elementa natorū,per ſe reddūt homines ſanctos. An poteſt aliqd magis falſum ineptūq; excogitari?

Bellātius alibi negat,cœlū indicare poſſe,quis religioſus aut irreligioſus futurus ſit,hîc nefariè aſſerit. Sed & Cardanus hoc pacto quædā ſcripſit,quę valde eraſa cupiūt noſtri Aſtrologi. Mirū certè eſt,eos tāto veritatis odio flagrare,vt quiduis admittāt potius,quàm vanitatē ſuā ꝓfiteantur. Tu quoq; ꝑturbatè & iracūdè hęc ſcripſiſſe videris,cū Sauonarolā exuſtū appellas Monachū. Quod gloriæ ducūt oēs boni,id tu acerbè tanquā malū carpis. Multo meliore poſſem ego iure,ſi qd ad rē faceret patrono veſtro Bellātio iugulato inſultare. Ille nāq; ꝓpter Chriſtū cōbuſtus eſt: hic ꝓpter facinus ab hoſtibus ſuis fœdè trucidatus eſt. Nec ꝓfuit illi diligentiſſima cœli inſpectio. Quāuis enim domo nunquā egreſſ⁹ dicitur,qn fauſta cœli ominari viderētur,decept⁹ tamē in ſua ſapiētia fuit. Quis miretur infauſtas ſtellas bona, & fauſtas mala facere? Iā enim audiuim⁹ intēpatas ſanctitatē creare in Sauonarola potuiſſe. Sed ad rem redeundū eſt.

Cœlū & cœleſtia vniuerſa, cū vniuerſales ſublunarium cauſſas negare te nō poſſe vides, interpretādo ſententiā lenire,vt argumentū effugias,conaris,cū ſic ſcribis: *Verū euētus liquidò oſtēdit, cœli lumina locáue poſſe habere cauſſæ etiam particularis rationem, aut omnino talis in natura cauſſæ, cuius aſpectio cōducit nōnihil ad prævidēda futura, quod cōtra experientiā cū Pico tu negas, &c.* Hęccine tua eſt,quam nobis promittebas, ingenioſa & docta argumentorū noſtrorū cōfutatio? Rationū mearū diſſolutionē expectabā, tu verò negas,ne vna quidē ratione prolata. Non te principiū petere, ſiue quod in cōtrouerſia eſt ſumere intelligis? Ego particularem cauſſam cœlū aut ſidera eſſe poſſe nego, & rationibus certis cōfirmo. Tu iſtis prętereitis,particularis cauſſæ rationē habere poſſe affirmas,& ratione nulla comprobas.

Cæterùm quia res huc perducta eſt,& tu,ſi cœlū vniuerſalis tantum cauſſa ſit,conſequi vides, Aſtrologiā eſſe vanā,

non

non fuerit præter rem exponere vniuerſalis cauſſæ actionẽ aliquot exemplis. Nam ex iſta declaratione apparebit, nunquam cœleſtia particulares cauſſas ita fieri, vt ex ipſis futura prænoſci queant. Vtar autẽ Medicis primùm apud Medicum, deinde etiam alio rudi quidem illo, ſed valde apto.

Cor vnica facultate vnã eãdẽq; vim, vitã ſcilicet, p ſpiritũ omnibus corporis partibus largitur. Hãc vbi acceperint, ſuũ quęq; officiũ facit, cui à natura pficiẽdo deſtinata eſt. Vẽter cibos conficit. Hepar ſanguinẽ generat. Oculus videt. Auris pcipit ſonos. Lingua ſaporũ diſcrimina indicat. Fecẽ ſanguinis attrahit ad ſe lien. Renes inutile ſerũ. Muſculi p motu animalis explicãtur & cõtrahuntur, & facit quælibet particula, quod p ſua natura facere debet ac poteſt. Nemo ignorat, ſi vim iſtã, quæ vnica eſt, & omnibus ex æquo cõmunicatur, pars aliqua amiſerit, omnẽ ipſam mox actionẽ amittere. Quam rationẽ hic cor habet ad reliquas corporis particulas, talem propè cœlum habet ad res ſublunares.

Si qs iã Medic⁹ ex cordis eiuſq; facultatis notitia pſcire ſe poſſe diceret, quã rectè vnaqlibet corporis pars ſuũ particulatim officiũ faciat, aut quã natiuã habeat tempiem, nõ tu eũ rideres? At nõ magis ex cœli viriũ cognitiõe ſciri põt, quõ hęc ſublunaria ſint actura ſeu futura. Non ſeqtur, Cor egregiè valet, vitãq; largiter de ſe ſpargit, ergo vẽtricul⁹ bene tẽpatus eſt aut male, bene maléue cõcoqt. Põt enim hic optimè tẽpatus eſſe, corde parũ bene valẽte: & cõtrà corde rectiſſimè affecto, peſſimè tẽpat⁹ eſſe põt. Ratio eadẽ eſt oculorũ, hepatis & omnino partiũ cunctarũ totius corporis.

Si cur ita res habeat qris, in prõtu eſt veriſſima reſpõſio. Quia facultas cordis nõ dat partib⁹, vt ſint qđ ſunt, ſed actũ omnibus eodẽ modo eadẽq; poteſtate cõtribuit ſolũ. Hoc accepto oculus videt, auris audit, nõ videt, quãtumuis eandem quam oculus vitã, non aliam à corde receperit. Suam quælibet pars actionem, nõ à corde accipit, ſed à ſua inſita natura habet. Hoc ſolum à corde accipit, vt pro ſua natura in actum exeat. Simili modo cœlum idem præciſè dat vni homini, quod alij cuiuis in vno loco exiſtẽti, idem robuſto quod imbecillo, idẽ bono quod malo, idẽ ægro quod ſano.

Digitized by Google

Non magis dat vt ſis bonus, quàm vt ſis malus. Neutrum enim dat, ſed actum ſolum tribuit, vt cor omnibus ex ęquo vitalem calorem de ſe mittit.

Sed dices fortaſſe magnum eſſe diſcrimē. Cordis namq; facultatem eandem permanere, cœleſtium vires variè huc demitti, pro varijs ipſorum motibus. Ad hoc reſpondeo, nihil hoc rationes noſtras turbare. Satis nobis eſt ex hoc exēplo rei naturam intelligere, quomodo ſcilicet vniuerſalis cauſſa nō diſtinguat particulares effectus. Quomodocūq; cœlū mutari cogites, ſemper tamen vniuerſalis cauſſa manet. Aſpectus ſiue contuitus Planetarū aliquis triangularis, etiāſi aliud poſſe atq; efficere cōcedatur, quàm quadratus aut ipſorū coniunctio, non tamē illius effectus minus erit vniuerſalis, quàm horū. Rectè igitur quadrat exemplum.

Quanquam ſi accuratè examines, non minus variè cor permutari quàm cœlum videbis. Certum eſt ipſum bene & malè, melius ac deterius valere, & perpetuæ ſubiectū eſſe mutationi. Quomodocunq; verò permutetur, ſemper vniuerſalis cauſſæ rationem poſſidet, particularis nunquā acquirit. Quæ cauſſa eſt? Quia ſemper cōmunis eſt virtus illius membris omnibus, itaq; ſingula afficit, vt affici quouis tempore apta ſunt. Siue igitur valeat, ſiue ægrotet, ſemper ſuam vim, quātum in ipſo eſt, omnibus æqualiter cōmunicat, licet non ſimiliter vitam operetur in ipſis, cum valet & cum ægrotat. Pariter cœleſtia quoq;, vt vt variè cōueniant, ac à ſe mutuò abeant, atq; ideo variè res ſubiectas afficiūt, nunquā tamen particulares cauſſæ fiunt. Sol aliter hyeme quàm æſtate ſubiectas terras aſpicit. At non minus aut magis cōmunis eſt poteſtas eius hyeme quàm æſtate, tametſi imbecillior huc deſcēdat. Inſcitè igitur & contra tū rationē tum euidentiā Aſtrologi cœlū particularē cauſſam faciūt.

Secundū exemplum hoc ſit. Rhabarbarum, Agaricum, Helleborumq; nigrum miſce, ac homini deuoranda exhibe. Calor innatus vnicus eodem modo in omnia tria agendo, vnica virtute ſua ad actum ſimiliter perducet. Actu accepto, nō vnum trahent humorem, quia vnum actum ſpecie ab vno calore receperūt, ſed omnino diuerſos. Rhabarbarum

barum flauam bilē, Agaricus pituitam, Helleborus melancholiam expurgabit, vnūquodq; ſcilicet ſuæ naturæ familiarem. Nō enim naturā ſuam à calore innato accipiūt, ſed actū pro ſua natura agēdi. Eodē modo quælibet cœli figuratio, vnā eandēq; facultatē rebus cūctis infundit, qua recepta, ſingulæ pro ſuæ naturæ modo aliter atq; aliter agunt.

Tu ne ſperes ex ſolius inſiti caloris notitia quenquam præintelligere poſſe, quomodo aut quid medicamēta, quæ certo homini offerēda oblataúe ſint, perfectura ſint? Non tantum, arbitror, de te nobis polliceri audebis. Quin potius impoſſibile dices, ac medicamentorum exacta cognitione ſingulorum opus eſſe fateberis ei, qui prædicere iſta rectè velit. At nō minus impoſſibile eſt ex inſpectione & notitia motus ſiderū præintelligere, quid & quomodo hîc omnia actura ſint, niſi ꝓbè ſingulorū natura cognita ſit. Cæterùm ſi hęc ſint accuratè cognita, ne opus quidē erit, niſi generali quadā cognitione cœleſtiū. Intelligi, qđ dixi, ex his poteſt.

Qui naturam Rhabarbari exactè percepit, is quid in corpus hominis poſſit agere, cū ab inſito calore ad actum perductum eſt, tametſi caloris naturā & modū, quo in actum ab eo perducitur ignoret. Qui nouit aliquē poſſidere ventriculum rectè apteq; temperatum, rectè cōcocturum oblatos cibos intelligit, tantiſper dum ipſius temperies nō labefit, & à corde vitā recipit. Sic qui nouit equum vim habere generandi equum, non opus habet ad huius rei notitiam ſiderum aſpectione, vt quando & quid generaturus ſit præuideat. Sanè Rhabarbarum omni tēpore bilem purgat, cum à natiuo calore eſt in actum perductum, quocūq; tandem ſidere obtuleris, modò in corpore bilem quæ educi poſſit offendat.

Iam verò quis neſcit Aſtrologos temperaturas, naturas, vires, proprietates illarum rerum, de quarū mutationibus nugantur in ſuis vaticinijs, prorſus ignorare, quinetiam nō inquirere? Supponūt, authore Bellantio, materias. An poſſit aliquid magis ridiculum fingi? Sic ratiocinantur:

Hic natus eſt, cum talis quidam in cœlo appareret ſiderum poſitus & aſpectus.

Digitized by Google

At quicunq; ſub tali ſidere naſcitur, propēſum gerit animum ad latrocinia vel homicidia.

Ergo hic homo ꝓcliuē poſſidet animū ad p̄dicta ſcelera.

Vitiū ratiocinationis ꝓculdubio cernis. Si cœlū rē quālibet ita afficit, vt affici apta eſt, falſa erit cōplexio apud illos etiā, qui talibus cœleſtia viribus prædita eſſe ſtultè credunt. (Plato, Ariſtoteles, Auerroes, ac verè Docti omnes aliter ſentiunt.) Nō enim cōſtat, vtrū qui naſcebatur aptus eſſet, vt à cœlo huc impelli poſſet. Si dū cōciperetur prẹparatam materiā cū Aſtrologis dicas, rurſus reſpōdebo, tam nō cōſtare vtrū ea materia apta eſſet ad recipiendū tūc talem præparationē, quàm eſt incertū, an, cū prodiret ex vtero in lucem, aptus idoneusq; ad peculiares iſtos cœli impulſus fuiſſet. Si omnes aptos reſpōdeat Aſtrologus, ſic percunctabor: Cur non omnes homines, quos illi ſiderū latētes radij attingebāt, huc perpulerūt? Cur ſolius nati pueruli animū figura cœli flexit? An hic ſolus erat aptus? Aliud reſpōderi non pōt. Sed ponebātur oēs eſſe idonei. Et hoc niſi poneretur, nō poſſe oſtēdi, vtrū is, q in lucē exijt, apt⁹ eſſet. Quis q̄ſo Aſtrologos docuit, hūc naſcētē magis, quā reliquos idoneū exiſtere? An cœlū aptū reddidit? Redibit mox quæſtio prima, cur non etiā alios reddiderit aptos. Quid hîc reſpondebis? Si ad cōceptionē refugias, eadē hîc quoq; interrogabo.

Addamus iam & tertium exemplū, ex lib 1. Galeni de vſu part. cap. 3. deſumptum. Oua diuerſi generis, anatis ſcilicet, anſeris, teſtudinis, columborum, gallinarum vni ſupponito gallinæ, vt calore ſuo foueat. Calor quo omnia hæc oua fouet, vnicus & ſimplex eſt. Nec aliud facit, quā quod ex ẹquo omnia calefacit. Nō enim alio calore, ſiue alio modo gallinacea, alio anſerina, alio rurſus anatum oua calefacit ac fouet: ſed vnico & ſimplici omnia æqualiter calefacit, eodēq; modo, vt diſparitatis ne fingere quidem aliquid hîc poſſis. Calefaciendo ergo ac fouendo excludentur diuerſi generis pulli, gallinacei, anſerini, columbini, anatum, &c.

Quæ nam dicetur cauſſa diuerſitatis animaliū iſtorum eſſe? Nō calor incubantis gallinæ, qui vnicus ac ſimplex eſt. Vnicū igitur quid per ſe, non diſtincta genere facit, nempe

tepe-

Digitized by Google

tepefacit oua. Non ergo calor,ſed ouorum natura in cauſſa eſt,cur non vnius naturæ pulli ex omnibus prodeant,ſed ex alijs alij.Quid igitur ouis cõtulit gallinæ calor? Vitalem vim in ouis potentia exiſtentem excitauit,confirmauit, auxit, ad actum perduxit. Hoc facto, qui in ſingulis inerat calor diuerſus, ex ſubiecta ſibi materia animal tale efformauit atq; finxit, quale fingere poterat. Nihil ergo aliud omnibus quàm calorem contribuit,à quo congeniti ouorum calores de potentia ad actum perducti ſunt.

Non puto iam quenquã hominẽ inueniri tam fatuum, qui ſperet, ſe ex notitia caloris gallinacei, ſiue ex eo, quod gallinam intelligit deſiderare ouis incubare (intelligi hoc poteſt ex ipſarum voce,ſcilicet cũ glocitant) præintelligere cuiuſmodi animalia fotu ſuo ex ouis ſit generatura.Nõ minus vel difficile vel impoſſibile eſt, ex inſpectione cœlorũ cognoſcere,quid hic particulatim ſit euenturũ.Sicut enim gallinæ calor per ſe nec gallinam,nec anſerem,nec anatem generat,ſed cũ calore ingenito anſerini oui anſerem,cũ eo qui in anatum ouis ineſt,anatem,& cum gallinacei oui calore, gallinaceum pullũ generat: ita cœlũ per ſe nihil ſigillatim efficit,ſed cum ſecũdis cauſſis omnia.Et vt inſiti ouorum calores,niſi caloris externi fotu, gallinæ,exẽpli gratia, quaſi de ſomno excitarentur, ſiue adiuuarentur,non poterant in actum exire,ac pullos ſui generis excitare:ita propemodum terrena iſta ſine ſalutari & viuifica ſiderum potẽtia iacẽt nec in actum exeunt. Adiuta autem pro ſua natura omnia alacriter agunt, vt in ouis incluſi natiui calores. Præterea vt à valido gallinæ calore felicius oua excluduntur quàm ab imbecillo, & à tẽperato melius quàm intemperato:ita cœlum quoq; felicius & melius quædam æſtate, quædã verò hyeme afficit,quatenus videlicet vniuſcuiuſq; natura valido aut imbecillo indiget calore.

Eadẽ ratio eſt omniũ cœli virtutũ,quod ad hanc rẽ attinet.Hæc enim noſtratia mouẽtur,quia illa mouẽtur.Quòd autẽ hoc modo res q̃libet magis mouetur,quã alio quouis, hoc à ſua natura ſingulæ habẽt,non à cœlo p̱ ſe acceperũt. Calores in ouis mouẽt, q̃a calor incubãtis gallinæ mouet.

Digitized by Google

Quòd autē hîc anſerem, ille anatem, alius gallinam ex ſubiecta ſibi materia fabricatur, hoc ex ſua natura ſinguli habent, non ab incubantis gallinæ calore nanciſcuntur.

Ex omnibus iſtis exēplis pulcherrimè intelligis, vniuerſalem cauſſam, nunquam poſſe particularem cauſſam fieri, ratione & comparatione illorum, quorū cauſſa vniuerſalis exiſtit. Quod commune aliquibus rebus eſt, non poteſt alicuius illarum eſſe proprium, vt nemo non intelligit. Cæterùm cœlum & cœleſtia vniuerſales cauſſas eſſe particularium effectuum huius mundi, alibi ſatis probatum eſt, hîc non eget probatione apud te, qui non negas.

Quod cum dico, nō nego ſidera particulares cauſſas fieri, quoties cum particulari cauſſa iunguntur, cumq́; ea effectum particularem producunt. Sic virtus cordis cū ventriculi poteſtate coniuncta, particularis cauſſa concoctionis, quæ in ventre fit, aliquo modo exiſtimari poteſt. Sic eadem cordis poteſtas, cum hepate ſanguinem generat, cum liene eundem à fece purgat, cū oculo (vt ſic dicam) videt, cum auribus audit, & cū omnibus partibus omnia efficit. Sic etiam cœlum cum homine generat hominē, cum herbæ ſemine herbam, cum lepore leporem, & cum re qualibet rem quamlibet, vt iam expoſitū eſt. Nō aliud tu quoq; dicis, cum vniuerſalem cauſſam per aduentū ſecundarum cauſſarum contrahi ſcribis. Vt autē res tota explicetur, nec ſcrupus tibi relinquatur, libet quæ Bellantius hac de re affert, confutare. Facio vel ob eam cauſſam libentius, quòd prorſus idem tu quoq; ſentis in his literis.

Verborum Bellantij in 2. quæſt. artic. 6. vbi particularem cauſſam trifariā dici monuiſſet, hæc ferè ſentētia eſt. Cœlū etſi ratiōe plurimorū effectuū vniuerſalis cauſſa ſit, in quibuſdā tamē particularis cauſſę rationē habere poſſe, ſcilicet in generatione muriū, ranarū, & aliorū animaliū, quę nō ex ſemine, ſed ex putredine & limo naſcūtur. Quę mox de Ioue addit, ineptiſſimè adſcribuntur ab ipſo, cū aliud nihil ſint ꝗ̃ principij petitio. Audio Bellantiū dicere cœlū particularē cauſſā eſſe illorū, quę ſine manifeſta cauſſa ꝓpria ſemē conferēte, ex putredine generātur. At ꝓbationē nullā audio. Si aſſue-

aſſeueraſſe ſatis eſt, omnia probari ab omnibus poterunt Sed age expendamus accuratius.

Dum Sol in limum agit, ranasq; ex eo generat, virtute illa ſua ranarum generatrice non ſolum putrefactum limum, ſed alia omnia, arbores, herbas, animalia, &c. attingit & afficit. Quare ergo non ex omnibus his ranas generat? Dices ne hanc Solis βατραχοποιητικὴν δύναμιν (hanc enim pro exemplo poſui) duntaxat limum alterare poſſe? At hoc eſt ſenſui, rationi, omnium doctorum hominum ſententiæ contrarium. Conſtat enim omnia omnibus cœli virib. ſubiecta eſſe, omniaq; ab ipſis affici, mutari, moueriq; poſſe. Nam ſicut corporis noſtri partes, aptæ ſunt pro recipienda à cordis viribus vita, ita naturalia cuncta apta ſunt pro recipiendo à cœleſtibus actu. Quid igitur ad prædictã quæſtionem reſponderi aliud poſſit, quàm non eſſe omnium eandem naturam & diſpoſitionem recipiendi, ego certè videre nequeo. Cæterùm quæcunq; cauſſa res diuerſas vna eademq; poteſtate afficiens, unamquãq; ita mouet, vt moueri idonea eſt, ac res omni tempore diuerſiſſimas, pro diuerſitate patientium, efficit, communis generaliſq; cauſſa eſt, ac dici debet. Sic vitalis in homine calor ex quibuſdam humoribus putrefactis uermes generat, ex aliter vel temperatis vel affectis nõ generat, quantumuis eodem vtroſq; modo afficiat.

Quid ad hæc reſpondebit Aſtrologus? Dicet ne Solem diſponere limum, nõ verò alia, pro tali receptione? (Ratio prorſus eadem eſt, à quocunq; ſiue qualicunque cœleſtiũ poſitu fieri cogites. Ego namq; claritatis gratia Solem iſta facere pono, vt plerique omnes cenſent.) At redibit prior quæſtio, cur, cum ad alias res plurimas pertingat, nõ eaſdẽ illas ſimiliter ſic diſponat ſiue præparet, vt præparare limũ putridum creditur? Reſpondere Aſtrologi nihil aliud poterunt, quocunque ſe vertant, quàm non omnia idonea fuiſſe, quæ ita præpararẽtur. Ex quo conficitur, cœlũ rem quãlibet ita afficere, vt affici poteſt. At hoc vniuerſalis cauſſæ munus eſt & officium, à qua particulares effectus non diſtinguuntur, vt ex ſuprà enumeratis exemplis liquidò ap-

Digitized by Google

paret.Ergo ideo ex limo putrido ranas generat, quia aptitudinē et pręparationē ad hęc habebat.Si cętera eandē habuiſſent,ex omnibus ranas produxiſſet. Eadē iſta cœli vis, quæ ex diſpoſito luto ranas gignit, ex apta materia mures generat, uel alia conſimilia animalia.

Quod ſi nondū rectè percipis quæ dicta hactenus ſunt, exēplum de ouis in memoriā reuocato.Certū eſt ingenitū in ſingulis ouis calorē,effectorē eſſe pulli q̃ generatur. Et hîc nulla eſt cōtrouerſia.Nō minus certū eſt,hunc cōgenitū ouis calorē imbecilliorē eſſe, quā vt pullū generet unquā,niſi ab externo calore corroboretur. Aequè notū cōfeſſumq; cunctis eſt hominibus,externū illū calorē, (gallinæ ſcilicet aut huic aliū ſimilē)ex ouis nūquā pullū generare,ſi non coniungatur cum innato ouorum calore.

Si non omniū ætatū certa experientia id nos fateri cogeret,ex eo ſaltē cognoſci poſſet,quòd cū ſubuētaneis ouis incubant gallinæ,putredinē pro pullo generant. Cur non hîc etiam generant pullos? Quia calor pulli effector,qui cuilibet ouo ſuus eſt & proprius,in talibus ouis nullus adeſt. Sicut gallinæ calor abſq; ouorum calore tali corrumpit potius oua, quā pullos ex ipſis generet: ita cœleſtis figura quælibet ſiue Sol in limum agens, ſi non calorem in eo inueniat formandis ranis & muribus aptum atq; idoneū, tantum abeſt, vt talia tunc animalia ex luto generet, vt multo magis putrefaciat aliterúe corrumpat. Non magis caret lutum pro generatione murium aut ranarum diſpoſitum calore ſuæ naturæ accommodato, quàm femina,licet non perinde nos intelligamus,vnde ipſum acceperit,aut quomodo paulatim in eo generatus ſit.

Cogita carnes putrefactas aſini, equi, bouis ſeu vituli ſoli eodē modo expoſitas eſſe, & ab eadem Solis aut cœli calore cōfoueri,& veſpas,apes,crabrones, vermes, muſcas diuerſi omnino generis animalia naſci conſpicaberis. An diuerſa iſta animalia abſque ope & auxilio diuerſorum calorum, qui in ſingulis carnibus inerat, generaſſe cœlum credes?Non arbitror,quemadmodum neque gallinæ calorem pullum excludere ex ouis apto calore deſtitutis audiſti.

ſti. Quomodo ergo vel Bellantius, vel tu potes credere, cœleſtia particularis cauſſæ rationem inducere, cum ex putrida terra aut fimo generantur animalia quædã? Non ſicco indiget calore, qui in re putrida ineſt, eoq; certo? Nemo ſanæ mentis dubitabit vnquam.

Hactenus expoſui quæ eſſet vniuerſalis cauſſæ natura & proprietas. Declaraui etiam, quomodo particularis cauſſa fieri nequeat, niſi per cõiunctionem particularium cauſſarum. Talis autem particularitas, vt ſic vocem, Aſtrologos nihil omnino iuuat. Bellantij præterea ſententiã, quę eadẽ cum tua eſt, falſam eſſe planiſsimè docui. Cœlum vniuerſalẽ cauſſam eſſe, hîc non probaui ex profeſſo. Hoc enim alibi feci, & quomodo ad ea tu reſpondeas, etiam nunc expecto. Deinde non fuit opus, vt pluribus oſtenderẽ, cum præſertim te negare non poſſe ex tuis literis appareret. Quanquam ſi attẽtè omnia obſeruabis, hîc etiam ratione ſimul atque experientia conprobatum perſpicies. Ex quibus omnibus liquet, falſum eſſe quod ſcribis, euentus liquidò oſtendere, aſtra interdum particularis cauſſæ rationem habere. Si verum eſt ſuperiora quolibet tempore hunc inferiorem mundum, & in eo res ſingulas ita mouere, vt moueri ſingulæ aptæ ſunt, ac ſine ſecundis cauſsis nihil particulatim efficiunt: manifeſtum eſt rectè me cum Pico negare, quod perperam tu cum Bellantio affirmas.

Malè illud etiam dicis, me viris doctis & prudentibus multis ſenſum commumen adimere malle, quàm admittere aliquas eſſe demonſtrationes ex effectibus ſumtas. Ego hoc ne dixi nec ſcripſi vnquam. Hoc autẽ dixi, & nunc quoque dico, Aſtrologos non poſſe aut ratione aut experientia docere, particulares huius mundi mutationes à ſideribus per ſe fieri. Nõ eſt verũ quod tu putas, pręcepta Aſtrologica ex effectibus, vt Medicinæ & Nauticæ orta eſſe. Quos enim putatis ſiderum effectus eſſe, non ſunt ab ipſis, vt à proprijs & per ſe cauſsis profecti, ſicut iam copioſe & planè explicaſſe me puto. At Medicina & Nautica effectuum, de quibus præſagiunt, proximas & per ſe cauſſas conſiderant, & ex his, ſiue ex harum actionibus

Digitized by Google

diuinant. Quinetiam quia variè actiones earum mutari, impediri, tardari, impelli ab accidentibus alijs cauſſis intelligunt Medici & Nautæ, non ante prædicunt aliquid futurum, quàm iam produci aliquo modo perſpexerint. Sed nec cauſſas duntaxat proprias & finitimas inſpiciunt, verùm obiecta quoque contemplantur. Ex mutua horum actione & perpeſſione cognita præſagiunt. Ex effectibus talibus, quorum cauſſas proximas, proprias, determinatas, veras peruiderant, ſua præcepta collegerunt.

Aſtrogoli contrà, quæ in alias cauſſas veras & proximas referre debebant, in remotiſsimas, communiſſimas & incontractas retulerunt. Et nunc in diuinando non alias contuentur, quas tamen per accidens producere talia certiſsimum eſt. Materiam nec conſiderant, nec conſiderare poſſunt, ſed ſupponunt. Non ſecus faciunt, ac ſi tota natura id tantum facere poſſet ac vellet, quod illi præmentiri (volui dicere prænunciare) ſtatuiſſent. Iactitant etiam ſe lōgo ante tempore quàm eueniant omnia præuidere poſſe. Quo fit, vt ex omni parte Nautarum & Medicorum præſagijs contraria ſint Aſtrologorum vaticinia. Quis non rideret Medicum particulares criſes ex ſolius natiui caloris conſideratione prædicere tentantem? Quid ſi reſpondeat, ſe humorem aptum expulſioni ſupponere? Perinde is faciat, ac is, qui ex incubatione gallinæ prædicere velit, quos pullos excluſura ſit, cum ignoret quibus ouis inſideat. Talis illius etiam conatus fuerit, qui ex contactu arteriarum, hoc eſt, virtute cordis cognoſcere ſtudeat partium omniū corporis naturam, actionem, temperiem, robur, ſanitatem, morbos, & quæ his ſimilia ſunt. An non meritò dicerentur inſanire, qui talia ſtultè tentarent? At verò non aliud faciunt Aſtrologi, cum ex cœlo hariolantur, ſuppoſita materia rectè præparata.

Valde ſcire velim, cur tibi Picus oſcitanter expendiſſe videatur ſententiam Ariſtot. in I. Meteor. qua hunc mundum à ſuperiore gubernari aſſerit. An tu aliud Ariſtot. illo loco per inferiorem mundum intellexiſſe cenſes, quàm elementarem hanc machinam? Equidem nullius rei quam

elemen-

Digitized by Google

elemētorum affectiones, illis in libris tractat. Taceo quòd verba, quæ antecedunt, & mox ſequuntur, hanc expoſitionē requirunt, imò nobis extorquēt. An vt illa ſcriberet, illo in loco cauſſa ei fuit alia? Certè omnes boni Philoſophi ita ſemper interpretati ſunt. Tibi plus videtur dicere voluiſſe. Verùm non quod tibi aut mihi videtur, dixit Ariſtoteles, ſed quod verum iudicauit. Verba diligenter ponderanda primùm ſunt. Deinde eſt intelligentia eorum ex dicendorum cauſſis, ex ipſa rei de qua dicuntur natura, ex antegreſſis & conſequentibus eruenda. Tu vide ne locum parū diligenter inſpexeris, & magis quid Aſtrologi contra mentem authoris ex cœlo particularem cauſſam facientes, ipſum dixiſſe cupiant, quàm quid dicere voluerit, ſpectaris. Quanquam non tecum litigem, ſi hac eum ſententia illud ſingnificaſſe aſſeueres, Omnia huius mundi à cœleſtiibus vniuerſali & communi ratione gubernari. Idem nos & dicimus & ſentimus. Et quid amplius ex propoſitis verbis elici poſsit, ego ſanè non video.

Cum me dicis negare cauſſas naturales contrahi poſſe ad indiuidua, quid dicas ignoro. Iam expoſui, aſtra cū homine generare hominē, cū equo equū, cū herbę cuiuslibet ſemine talē herbā, cum diuerſarum formarum indiuiduis, diuerſa ſpecie indiuidua, cū vnius ſpeciei indiuduis diuerſis, vnius ſpeciei indiuidua diuerſa. Explanaui exemplis, præſertim verò gallinæ calore fouentis oua diuerſa. Quæ ſi non intelligis, quid dicere poſſim clarius non ſcio. Poſſum ex tuiſmet verbis hoc loco poſitis probare, cœleſtia vniuerſales cauſſas eſſe.

Cœleſtium vires lōgè lateq; patēt, nihil certi efficiunt, niſi ab alijs cauſſis determinētur, inq; anguſtū cōtrahātur, hoc eſt, ad certum effectum producēdum dirigātur & circumſcribātur. At tales cauſſę vniuerſales, cōmunes, interminatę ſunt, neq; effectus diſtinguunt. Ergo ſidera uniuerſales cauſſę ſunt, effectus nō diſtinguūt, ideoq; ad diuinādū inutiles exiſtūt, ſiue particulares eiuſcemodi effectus ex ipſis pręnoſci nequeūt. Rectè tu fateris amplum, hoc eſt, vniuerſale ꝑ particulare cōtrahi, ſicut nuꝑ declaraui. Quę ūt,

Digitized by Google

vt meritò mirer, cur interroges cauſſam, quòd Ariſtoteles vniuerſalem cauſſam particulari copulauit. Sed profectò verum eſt, quod Galenus dixit, falſa dogmata cæcos et ſurdos reddere, quoum animos occuparũt, vt nec videre nec audire poſſint, quæ alij vident audiuntq́;.

Niſi ita eſſet, iam dicta intellexiſſes, & præterea vidiſſes, cur Cicero ſui diſſimilimũ generarit filiũ. Nõ ex eodẽ ſemine, nõ eodè ĩ loco generatus ẽ filius, ex quo et in quo pater natus fuit. Nõ eãdẽ habuere matrẽ. nõ ex ſimili vterq; nutritus eſt ſanguine. nõ eodẽ vterq; modo educatus fuit. Lege Cic. filij epiſtolam, quę in 16. lib. Fam. epiſtolarum extat. Huic adiunge Plutarchum in vita Ciceronis, & intelliges quę res corruperint adoleſcentis mores. Nõ ita multò antè vel ex tuis verbis oſtendi, ſidera cũ diuerſo ſemine & ſanguine, cum diuerſis indiuiduis diuerſos ſeu diſpares fœtus procreare. Quid igitur miri accidit, ꝙ filius nõ eiſdem moribus præditus fuit, nõ eadem vſus eſt fortuna, nõ idem cũ patre ingenium & iudicium nactus eſt. Diſpares cauſſæ diſpares pariunt effectus. Sed hæc ſatis.

Non nego diuerſos aſtrorum poſitus diuerſè & diſſimiliter huc agere, ſcilicet efficacius & minus efficaciter. Aliter namq; Sol oriens & occidẽs, aliter in medio cœlo hærens calefacit. Aliter, dico, non alia vi alióue calore, ſed potentius, & imbecillius. Sic & Lunæ motus hoc abundè arguit & demonſtrat. Nec illud etiã negaui vnquam, homini eam cum cœlo eſſe cognationem, quæ rebus naturalibus omnibus eſt. Hoc negabam, cœlos particulares cauſſas eſſe effectuum, quorum prȩuiſionem ſibi falsò arrogant Aſtrologi. Huius rei probationẽ ex te auditurũ me ſperabã, aut ſaltem, quia facilius eſt docere cur aliquid falſum ſit, quã cur verũ ſit, noſtra te cõfutaturũ, ſicuti pollicitus fueras, ſuſpicabar. Tu verò horum nihil adfers, ſed tantum fingis me dicere & ſcribere, quæ per omnem vitã nunquã cogitaui, ꝙ ſciã. Tale illud etiã eſt, ꝙ me exiſtimare ais, cauſarum vniuerſaliũ indagationẽ impoſſibilem & inutilẽ eſſe. Item quòd ſenſibus neglectis, te rationes meas ſequi iubeam. Certè quod ſcripſi hactenus, non vllis magis teſtibus,

quàm

quàm ſenſibus iudicari cupio. Tu, ſi potes, non cõſona ſenſuum iudicio doceto.

Poſt multa huius generis hæc demum ſcribis: *Quæ hæc eſt conſequentia, Ariſtoteles primos ſtimulos dixit eſſe ſtellas, nec longius eſt progreſſus, ergo nemo mortalium aliquid certi diuinare poteſt ex primis & communibus illis impulſibus.* Hæc tua eſt ratiocinatio, quam mihi tribuis, ſed fruſtra. Neque enim ſic ego argumentatus ſum. Præclarè intelligo, non propterea non poſſe mortales diuinare ex aſtris, quia non potuit Ariſtoteles. Ergo quod ad antecedens attinet, verum eſſe concedo, tibiq; probari gaudeo. Dum non aliud quàm conſequentiam negas, Ariſtotelem Aſtrologica nõ conſectatum fuiſſe apertè ſatis te credere oſtendis. Conſequens non minus eſt verum, tametſi conſequentiam non eſſe firmam & bonam, aperto, vt dicitur, ore fatear. Ex ſuprà commemoratis patet, me non ita fuiſſe ratiocinatum. Ideo non poſſunt ex ſiderum motibus futura præuideri, quia rerum natura id non patitur, vt cùm alibi, tum hîc etiam, quantum res poſtulabat, probaui.

Vter noſtrum in ſchola viuat, in qua αὐτὸς ἔφα valeat, is intelliget, qui noſtra cum iudicio leget. Ego argumenta plurima attuli. Tu nullum ex his confutare potuiſti hactenus, imò ne tentaſti quidem. At abſque probatione complura ſcripſiſti. Quo argumento, vt prætercam alia, confirmare conatus es, quod confidenter ſuprà aſſeuerabas, cœlos particularis cauſſæ rationem habere poſſe? Certè nos rem non nuda aſſeueratione, vt tu, geſſimus, ſed firmamenta noſtræ cauſſæ minimè leuia attulimus. Ea cũ tu loco mouere, ſicut te facere poſſe nuper iactitabas in aliorum præſentia, huc vſque nequiueris, quomodo ſola affirmatione pugnare tecum tibi videar?

Si vidiſſet, ais, apoteleſmata Ptolemæi Ariſtoteles, probaturus credo fuiſſet. Bene eſt quod credis. At ego non quid tu credas, ſed quid probes ſpecto. Niſi vniuerſam abijcere dãnareq; ſuã voluiſſet philoſophiã, probare nõ potuiſſet. Nã ex diametro hęc cũ Aſtrologicis fabulis pugnat.

Digitized by Google

Quę de Democrito ſcribis;nihil ad rem noſtram. *Hippocrates*, inquis, *Ptolemæi de ſiderũ poteſtatibus ſobriam (rectius dixiſſes ebriam) inquiſitionem non fuiſſet, credo, refutaturus.* At ego non credo. Plus enim habuit iudicij & ingenij, quàm vt talibus nugis fidem adhiberet. Atqui iuſsit, inquies, obſeruari ortum & occaſum certorum ſiderũ, Arcturi, Pleiadum, Canis, &c. Si vel ipſum Hippocratem hęc ſcribentem accuratè conſideraueris, vel Galenum hęc interpretantem attentè perlegeris, in primo ſcilicet comm. in 1. Epidẽ. Hippocratis, nihil Aſtrologiæ ea patrocinari aptiſsimè cognoſces.

Vinum, ais, *plus trudit ad arma ſcio, quàm Martium ſidus, & Satyriones ad aphrodyſia potẽtius incitãt, ergo Veneris influxus nihil eſt. Falſa eſt conſequentia.* Sed hæc ἀτοπώτερα, verba tua ſunt. Miror te tales producere nugas, quales à me nunquã audiſti. Argumenta potius mea ſicut receperas, proferre, & in illis diſſoluendis deſudare te decebat. Quæ hactenus attuliſti, non ἀτοπώτερα, ſed planè ἀτοπώτατα ſunt. Quòd ſi hoc ipſo fuiſſem argumento, te concedente, vſus, multum certè effeciſſem. Si namq; plus vinũ trudit ad arma, quàm Martium ſidus, non quidem ſequitur, Martij ſideris vim nihil eſſe: at hoc ſequitur, ex ſidere Martis bellũ prædici præſciriúe nullum vnquam poſſe. Nam ſi ex vini viribus & actione in corpora noſtra prædiuinare ex arte hoc nemo poteſt, multò minus ex actione huius ſideris quiſquam poterit. Prius verum eſſe nemo ſanus negabit. At maiorem vini vim hic eſſe tu ipſe fateris. Concedes ergo prorſus, quod inde ſequi dixi.

Frigidè primam te diſputationis tuæ partem defendiſſe, omnino vides. Iam an felicius alteram tuearis, videndũ nobis erit. Argumentum primum tale eſt: *Ptolemaus, Cardanus, Trapezuntius, experimenta ſua narrant, ergo de ſiderum operationibus experientia poteſt haberi.* Si talibus ipſe vterer argumentis, quid non tu diceres? Sed facilè patior mihi nõ licere ἀςρολογίζειν. Nego tibi hos viros probare poſſe, quod aliquid eorum, de quibus noſtra diſputatio eſt, à ſideribus per ſe, non per accidens, effectum ſit. Rationes & argumẽ-

ta

ta flagito,non Aſtrologorum teſtimonia. Nunquam dubitaui eos pro ſua vanitate abſq; argumentis teſtimonium dicturos. Miror tamen te Cardani authoritate hac in re niti,quem impiè Aſtrologum eſſe, & de Chriſto mentiri non erubeſcere,non potes ignorare. An talibus tu me in hac re & cauſſa fidem adhibere iubes? De Trapezuntio nihil affirmare aut negare poſſum,vtrũ tale aliquid dixerit. De Ptolemęo fruſtra reſpondeam. Si huius apud me plus valeret authoritas quàm veritas,tecũ de his rebus nõ concertarem.

Quæ de Mauritij Ducis Aſtrologo narras,audiſti tãtum. Falſa eſſe potuêre. Scis quã coactè Aſtrologi ſuas prędictiones ad facta aptent , cũ antè ne ſomniaſſent quidẽ aliquid ſimile. Similiter ac illi faciũt,qui ſomniũ vident. Hi namq; tunc nihil intelligunt, cum ſomniauerunt. Poſtridie quicquid illis accidit, hoc à ſomnio præſignificatum rentur, & ſæpe violenter & ineptiſſimè facto accommodant. Sed finge vera fuiſſe,quę de ipſo audiſti,ſcilicet prænunciaſſe eum talia,antequam euenirent. Non potuit alia fraude , vt plerunq; faciunt Aſtrologi,vti? Si & hoc neges,eſto ita. Verum ne continuò erit,à ſideribus effecta fuiſſe,quæ ille prædixerat? Minimè gentium.

At in ſideribus hæc vidit,reſpõdebis. Ponamus ita ipſum credidiſſe. Attamen non eſt conſectarium,ſidera illa aut effeciſſe aut ſignificaſſe. Nam ſi conſequi cõtendas,concedere hoc etiam velis nolis cogeris, Aues præſignificaſſe volatu & geſtibus , quæ ex his Augures ſe præuidere putabant. Huius certè vanitatis impiæ, ſicut Extiſpicij,& Geomantiæ plura & illuſtriora exempla ex omnibus hiſtorijs adferre & ex quotidiana exercitatione Geomanticorum poterimus, quàm Aſtrologiæ. Non neſcis Romanos (vt gentes alias taceam) nihil inauſpicatò domi foriſq; inchoaſſe ac geſſiſſe. An infinita propemodum eueniſſe,quę futura prædixerant augures,dubitas ? Falſi crebrò ſunt iſti diuinatores omnes, ſcio. At crebrius aberrant Aſtrologi,quod omnes homines fateri coguntur,qui obſeruant.

Quod ſi artificum , non artis (ſic enim iam nomino) vitio cõtingere dicas,idem Augures, Aruſpices, Geomantes,

Digitized by Google

cum vniuerſa diuinatorũ turba reſpondebũt. Quid ipſis reſpõdebis? Si dicas experientiã ipſorũ fallacẽ eſſe, nec fuiſſe talia ab auibus & extis & pũctis p̃indicata, ſenſum cõmunẽ te doctis & prudẽtibus omniũ ætatum viris adimere velle vociferabũt, & expientiã identidẽ vrgebũt, ita nimirũ eueniſſe dictitãtes, ſicut euẽtura in auium volatu vel garritu & ſimilibus præuiſa fuerint. Nõ tu hic rationẽ ab ipſis petes, quæ ab auibus talia præſignificari potuiſſe doceat ac ꝓbet? Cur nõ idẽ nobis in vos liceat? Ecqd tandẽ interrogati hoc modo, reſpõdebitis? Augures à Dijs ſuis ita cõmotas aues vt hęc p̃mõſtrarẽt fortaſſe dixerint. Vos aũt qd habebitis? Naturalẽ hãc ſiderũ vim eſſe dicitis. Nos verò id negamꝰ, & vt ꝓbetis petimꝰ, p̃ſertim cũ validiſſimè nos ꝓbemꝰ falſũ eſſe qđ dicitis, nec argumẽta vos diſſoluere cõfutareq; poſſitis.

Auguriũ multo illuſtrius verũ eſſe probauit Accius Nauius Tarquinio Priſco regi Romanorũ, quã omnes Aſtrologi ſuã Aſtrologiã. Hiſtoriã reperies apud Liuiũ lib.1. decadis primæ, apud Dionyſiũ Halyc. ſub finẽ libri tertij, apud Lactant. li.2. inſtit. cap.8. Tametſi hæc ita habent, nihil tamẽ aliud ſunt oẽs iſtę ſpecies vaticinãdi, quàm indoctę, ineptæ, falſæ & impiæ gentilitatis ſupſtitiones, rationi ac ſenſui repugnãtes. Quod ſi ex euẽtis hic ꝓbari nihil põt, vides facilè te quoq; nihil ꝓbaturũ, etiãſi aliquid ita accidiſſe cõſtet, vt euenturũ p̃dixit Aſtrologus, niſi pariter cõmonſtres ſidera talia ꝑ ſe efficere poſſe. Cõueniebat inſtituto tuo argumẽta mea & Sauonarolæ refellere, qbus ꝓbatur, nullã expientiã taliũ haberi poſſe, quod ſcilicet à ſideribus, vt per ſe cauſſis, nata profectaq; ſint. Sed præſtiterit fortaſſe hanc rẽ verboſius explicare hoc loco, vt minus dubitare poſthac poſſis.

Experientia eſt eiuſdem rei ſæpe eodemq; modo factæ obſeruatio. Ergo non poterit quiſquam rectè affirmare, ſe per experientiam cognouiſſe, hoc ab illo factum, niſi ab eodem ſæpe eodemq; factum modo percognouerit. Dico neceſſe eſſe, vt ab eodem factum ſciat per ſe, nõ per accidens. Deinde vt cauſſa nulla pręſens fuerit alia, à qua idẽ effectus potuerit produci. Poſtremò vt neq; ſenſui neq; rationi repugnet, illum effectum ab illa cauſſa produci. Nemo ergo

Digitized by Google

rectè gloriabitur de experientia,niſi eandem rem ſæpe fieri obſeruarit. Deinde vt eodem modo ſiue ab eadē cauſſa ſæpe produci cognorit. Hoc autē ſcire nunquam poterit,niſi duo iſta explorata habeat. Primum, nullam adfuiſſe aliam cauſſam, dum fieret, in quam rectè referri effectus potuerit.Poſtea vt non repugnet rei naturæ,ſi ab illa cauſſa generatus talis effectus ponatur. Hæc iam examinabimus, vt ea neceſſariò requiri liqueat.

Primùm quod ſæpe ita eueniſſe oporteat, ipſa notio experientiæ indicat. Non enim ſatis eſt,vt re aliqua præſente, quippiā fiat,ad hoc,vt ab ea re factū credi debeat.Nō enim quod pręcedit aut adeſt, cauſſa ſemper eſt eius,quod fit aut ſequitur.Sic enim ſolis ortus cauſſa ꝑ ſe foret omniū illorū dicēda, quæ poſt ipſius ortū homines faciūt. Sæpe tonitru facto,aut dū fieret,aliquis fortè in febrē incidit, nec tamen tonitru ꝑ ſe cauſſa fuerat illius febris. Sic aliquādo cauſſam certi effectus putāt homines eſſe,cuius cauſſa nullo modo eſt,niſi ꝑ accidēs. Quia ergo q̄ ꝑ accidēs eueniūt,fermè rarò eueniūt,oportet nos ſcire,idē eodē modo ſæpe eueniſſe.

Sed hoc nondū ſatis eſt. Multa namq; ſæpe fiunt eodem ferè modo,præſente aut præcedente cauſſa aliqua, quæ tamen effectuū illorū cauſſa non eſt.Omnibus aliqui diebus ſcribūt,ſtudēt,&c.Nec tamē ſolis exortus & dies cauſſæ harū rerū propriæ exiſtimari debēt.Scire ergo præterea oportet,nullā aliam adeſſe cauſſam, quæ aptè recteq; dici queat effectū ꝓduxiſſe.Quàm difficile ſit iudiciū,cū in plures pręſentes cauſſas ꝓbabiliter effectas aliqs referri valet, ipſa res ſatis declarat.Potes quę de hac re Galenus in cōm.1.aphor.1. cōſcripſit ꝑlegere. Qui Medicā artē exercēt,nimis frequenter experiūtur. Quare nō ſatis eſt ſcire,eandē cauſsā aliquā præſentē fuiſſe, cū vnus idēq; effectus ſæpe fieret, ſed nullā præterea adfuiſſe oportet,in quā,vt verā cauſam,effectus ille referri potuerit.Sol ſemꝑ eſt in cœli medio,aut certè plerunq;,cū horologiū duodecies pulſat, exēpli gratia: ſed iſta pulſatio ab alijs cauſſis fieri potuit, vel cōmodius vel æquè cōmodè, ac à ſole. Ex hoc exēplo cætera cognoſci facilimè poterunt. Ideo enim rudi vti placuit,vt dilucidior res eſſet.

Digitized by Google

Verumenimuerò ne hoc quidem ſatis eſt. Poteſt enim quæ verè cauſſa effectus eſt latêre,& quæ nõ verè cauſſa eſt, apparere,ac ita vſuuenire, vt quæ cauſſa non eſt, cauſſa putetur fuiſſe.Et contrà,quę cauſa verè eſt,effectumq; produxit,cauſa eſſe neſciatur,vt quæ latuerit,ea interim apparente, quæ cauſa effectus non fuit. Quare hoc quoq; conſiderare oportet, vtrum pugnet cum ſenſu, cum ratione, cum ipſa rerum natura, vt illum effectum ab ea, quæ nobis occurrebat tunc cauſſa,productum aſſeramus.

Hæc iam ad rem noſtrã accommodaturi exemplo prius declarabimus Rhabarbari. Hãc radicem purgare bilem dicimus.Et ſi quis roget,quomodo aut vnde ſciamus,reſpondemus,experientia id nos docuiſſe.Etenim cũ homini aliquando exhibitum fuiſſet, bilemq; multam eduxiſſet, orta ſuſpicio fuit,Rhabarbarum hac vi præditum eſſe. Cum idẽ poſtea plurimis ſaturis, famelicis, calefactis, perfrigeratis, ocioſis,exercitatis mulieribus, viris,adoleſcentibus,pueris, propinatum fuiſſet, ſemperq; bilis deiectio conſecuta fuiſſet,Rhabarbarum virtutem in ſe bilem purgãdi habere cognouerunt per experientiam. Si tu id neges, reſpondebunt tibi,qui huius rei periculum fecerunt,hoc modo: Quoties Rhabarbarum homini exhibetur,ſiue calidus,ſiue frigidus is ſit factus, ſiue æger ſit ſiue ſanus, expurgat ſemper bilem, tunc etiam cum cauſſa nulla fingi poſſet alia præſens, quæ idem hoc efficere potuerit. Ambigi hac de cauſſa non poteſt,quin huius effectus per ſe cauſſa ſit Rhabarbarũ,ſi non aliter,certè vt inſtrumẽtum idoneũ naturæ corporis. Ergo rectè bilis iſta deiectio in Rhabarbarũ tanquã cauſſam refertur. Nõ aduerſatur autẽ rerũ naturæ, ſi fungus aut radix aliqua pituitam detrahit, aliquã eſſe quæ bilẽ ducat. Rectè ergo dicetur,experientia cognitũ eſſe,quod Rhabarbarum bilẽ trahat. Omnes enim cõditiones cõmemoratæ adſunt.

Iã,an Aſtrologi poſſint effectus,quos pręſcire cupiũt,imò videri pręſcire volũt,ſic aptare ſideribus,diſpiciamus.Equidem cõditiones omnes repugnãt. Nã nec eundẽ effectum ſępe obſeruarũt ab eadẽ cauſſa ꝓueniſſe.Nec poſſunt negare,quin iidem effectus, quos à ſideribus profectos contendunt,

dunt, in alias propiores & veriores cauſſas referri queant. Quod poſtremò ipſorũ poſitio,euidẽtiæ,rationi ac naturæ aduerſetur, ex ſuprà declaratis patet, vbi dilucidè expoſitũ eſt,qua ratiõe fieri nequeat,vt vniuerſalis cõmuniſq; cauſſa,particularis fiat.Attamẽ vt res illuſtrior ſit & clarior,exẽplum adferã Aſtrologicũ,nõ parũ aptũ propoſito noſtro.

Ponamus certã ſolis eclipſim bellum ciere poſſe,vt tu in tuis literis affirmas. Si quomodo id cognoueris percũcter, experiẽtia te cognouiſſe reſpõdebis.Quęro ergo ex te iam, vtrũ eandẽ ſpecie ſolis eclipſim ſæpe bellũ ſuſcitaſſe obſeruaueris? Quæro deinde,an belli cuiuslibet, quod eclipſim eam ſecutũ ponitur,nõ veriores hîc inuenire licuerit cauſſas? Quæro tertiò,an nõ rerum euidentiæ contrarium credat, qui eclipſim excitare per ſe bellum credit?

Quid ad primum reſponſurus ſis ignoro,quid verum ſit probè ſcio. Certũ eſt eandẽ prorſus ſpecie eclipſim,aut aliã quamuis ſiderũ figurationẽ redire nunquã poſſe: aliqua ex parte ſimilẽ poſſe,at nõ niſi poſt longũ tẽpus. Non id dico, quod aliquibus placuit,mihi placere niſi rectè intelligatur, nõ poteſt,totius cœli ſidera concurrere ad effectũ quẽlibet particularẽ producendũ.Nihil tamẽ iſti quoq; dicũt,quod, qui cãdidè interpretatur,facilè dãnare poſſit.Hoc certũ eſt, maximã partẽ hæmiſphęrij ſiue dimidij cœli vires ſibi mutuo ſecundũ Aſtrologorũ dogma cõmunicare. Radij nãq; omniũ ſuo modo vniũtur, pro diuerſitate tamẽ poſitus,diuerſe.Iã conſtat hoc etiã,ſidera ſiue ſtellas perpaucas notas eſſe Aſtrologis. Nõ enim omniũ, imò ne plurimarũ quidẽ ſe vires cognoſcere affirmare audẽt. Quare cũ diuerſo poſitu aliæ aliarũ vires augeãt, ꝓmoueant,retardẽt,impediãt, mutẽt:ſciri non põt, quatenus ſingularũ figurationũ poteſtates ꝑmutatæ ſint,niſi omniũ vires exploratè cognitas habeãt, & quantũ ex figuræ mutatione qualibet, viriũ vel accedat vel detrahatur, perſpexerint. Nã vt ſol in eodẽ ſigno ſimiliter deficiat,nõ tamẽ cæteræ oẽs ſtellæ eũ in cœlo ſitũ habẽt, quem cũ antea in hoc ſigno deficiebat, obtinebant. Quantũ igitur nuper promouerãt efficacitatẽ eclipſis,tantum fortaſſe iam impediũt. Hoc autẽ ignorare eos neceſſe

Digitized by Google

eſt tantiſper,dum ſingularũ vires perdidicerint.Quod cum fieri nequeat,quis quæſo non videt,prima ſtatim conditione Aſtrologorum experientiam priuatam eſſe?

Reſpõdet hoc loco ineptiſſimus Aſtrologus ineptiſſimè. Medici,ait,etſi herbarũ omniũ vires nõ explorarũt, multarũ tamẽ facultates p̃ expientiã cognouerũt. Quid igitur ꝓhibet idẽ de Aſtrologis ſentire? Nõ opus eſt,arbitror, multis declarare qđ ꝓhibeat.Iã enim expoſitũ eſt.Herbę ſingulæ p̃ ſe adhiberi corporibus,vel intra corpora ſumi ſolẽt ac poſsũt,cũ,qua poteſtate p̃ditæ ſint,inueſtigatur. Quare ſingularũ p̃ ſe actionẽ obſeruare ſigillatim Medici poſsũt. Nã quæ nec admouentur nec ſumũtur, eæ admotarũ vim nec augere nec impedire poſsũt.Si eodẽ modo ſingularũ ſtellarũ potentiã,ab aliarũ viribus ſeparatã oſtendere mihi aliqs poſſit,credã tũc Aſtrologis eos aliqđ interdũ ſcire amplius poſſe. Iã cũ omnia ſidera eodẽ tẽpore ſemp̃ vires cõmunicẽt,ac radios ſeorſum nullũ ſolũ agat:certũ eſt mutatę figurę poteſtatẽ ignorari,dũ neſcitur quantũ ſingulę ſtellę,propoſitus diuerſitate,figuræ cuiuslibet actionẽ vel ꝓmouere vel retardare valeãt.Etenim nullius ſideris vires tãtæ(exceptis ſolis atq; lunæ poteſtatibus) ad nos perueniũt,vt ſenſibiliter ab aliorũ viribus diſcernere poſſimus. Poſſunt ergo Medici plantarũ vires quarundã cognoſcere, tametſi lõgè plurimarũ virtutes ignorent, Aſtrologi ſtellarũ hoc modo nõ poſsũt. Taceo qđ p̃ter expientiã ſenſu ac ratione variè harũ vires dijudicare poſſumus,illarũ ſi poſſemus,nõ niſi p̃ expientiã poſſem⁹ notare & diſcernere.Putidã ergo,impitã, & verè Aſtrologicã cõſtat hãc eſſe reſpõſionẽ, & primã cõditionẽ Aſtrologicę expientię prorſus deeſſe magis elucet.

Videamus ergo nunc,an ſecunda cõditio adſit,vtrũ bella quæ poſt dictas eclipſeis ſecuta ſunt, nõ potuerint rectè, aptè,prudẽter, verè in alias cauſſas ꝓpiores referri, in Principum & Regum odium,auaritiam, regnandi libidinẽ,ambitionem,vanæ gloriæ ſtudium, opes amplificandi cupiditatẽ,& quæ huius generis alia Principes extimulant, vt bonis alij aliorũ inhient? Si neges ab his naſci bella,ſiue appareant ſiue nõ appareãt in cœlo eclipſeis, verè de te dici poteſt,

teſt,quod de me falſo dicis,te doctis & prudentibus cõmunem ſenſum adimere,imò te ex hominibus plus quã bruta facere conari.Si affirmes,non ideo bellum exortum eſſe vides,quia eclipſis apparuit:ſed quia hęc adfuerunt,& præterea arma, vires, copiæ, pecuniæ, occaſio. Non dubito quin credas abſq; his bellum neminem ſuſcipere.

Si ergo hæc adſunt, nec ab eclipſi dari potuerint, fruſtra nobis narras eclipſim ſuſcitaſſe bellum.Sanè qui aliena inuadere cupit,& ſuis adijcere ſatagit, atq; iam commemorata habet in promtu,bellum vicino inferet,ſiue eclipſis in cœlo viſa ſit,ſiue non ſit viſa. Vnde plurima bella nulla eclipſi præcedente exorta ſunt,ac multas eclipſeis etiam nulla bella ſecuta ſunt. Atqui,reſpõdeat fortè Aſtrologus,eclipſis Principum animos qui ad bellũ parata omnia habent, excitat Reſpondeo,falſum eſſe. Nam nec animos cœli permouere poſsũt,nec corpora aliter afficere quàm affici idonea ſunt,ſicut ſuprà oſtendimus. Et quomodocunq; cogitetur hoc perficere eclipſis, ſemper tamen rectius in prædictas cauſſas propinquas referetur bellum, quàm in cœlum, ex omnium non infatuatorum hominum ſententia. Ruit ergo hac quoq, in parte experientia veſtra, cum quæ à cœlo effecta dicitis, aptius & verius in proximas cauſſas referuntur. Eclipſeis certè non niſi prorſus per accidens cauſſæ vocari poſſunt.

De tertia cõditione,quòd illa etiã abſit,nõ opus eſt lõga diſputatione. Tu ab eclipſibus bella cieri aſſeueras,& nihil probas. Ego nego,& illis argumẽtis demonſtro,quæ tu refellere nõ potes. Nõ poſſum mihi perſuadere te nolle,cum præſertim in his literis aliquo modo tentaris.Quàm feliciter, ex iam dictis perſpicies. Perinde facit qui eclipſim bellum ſuſcitaturam affirmat, ac ſi quis glocientem gallinam anſeres excluſuram narret,cum, an ſubijciẽda anſerina oua illi ſint, prorſus & ſimpliciter ignoret. Si etiam eclipſis aliqua permouere ad bellum Principis animum poſſet alicuius,non tamen conſtaret cuius. Nam omnium dici nequit. Sic enim omnium hominum permoueret, quod perſpicuè falſum,& abſurdorum abſurdiſſimum eſt.

Digitized by Google

Deinde ſi hoc etiã cognitũ foret, quod impoſſibile eſſe tu ipſe vides,nondum tamen cõſtaret,an vires,milites idoneos,pecunias, & occaſionẽ obtineret. Niſi fortaſſe ei theſaurũ oſtẽdat latentẽ alicubi eclipſis,& exercitũ ei conſcribat,ac animos eorum, qui à cõſilijs ipſi ſunt,ita flectat, vt à propoſito Principem nõ dehortẽtur ſuum. Nõ ſatis eſt eclipſim in cœlo apparere,alijs præterea opus eſt. Si quia illa præceſſit,hæc ſequi oportet,cauſſa eorum vt ſit, & quidem per ſe cauſſa,eſt neceſſe. Sed hoc falſum tu quoq;,credo,fateberis. Quòd ſi ſæpe poſt eclipſim bellũ ſecutum reſpondeas,nihil dixeris.Nõ enim quod pręcedit,ſemper eſt cauſſa eius quod ſequitur.Fortaſſe cauſſa vera effectus latuit,& quæ cauſſa non erat præceſſit.Niſi ita ſit,Cometa ſiue eclipſis proxima te impulit, vt tam præclarè Aſtrologiam tuis argumentis defenderes.

Sed hæc ſatis multa ſunt ad oſtendendum, nulla vos experientia probare poſſe à cœlo fieri, quæ ab eo effici vos ſomniatis. Generali modo à cœlo iſta proficiſci non nego, ſed ita,vt vos putatis,inde manare nego,ac rectè me negare probo. Proinde nõ verè de me ſcribis,me experientiam negare, cum vos nulla experientia didiciſſe affirmo, quod à cœlo eiuſmodi facta ſint.Experientia id præſtare non poteſtis,ratione caretis.Nos contrà,rationes ac ſenſus habemus teſtes noſtræ ſententiæ,experientiamq; iudicem pro nobis ſententiam ferentem.Vtra ergo pars veriorẽ cauſſam tueatur,valde conſiderare te velim.

Ad eclipſeis tuas facile iam quid reſpondendũ ſit vides. Eclipſim ſolis anno 1540 æſtũ effeciſſe aut ſignificaſſe ſcribis.Signum quomodo potuerit eſſe æſtus non video. Cœleſtia cauſſas poni ab Aſtrologis ſcio. Quare de ſignis hîc diſputare nolo,apud Medicum pręſertim & philoſophum, quem ſignorum omnium ortum & proprietates ignorare non decet. Cauſſa igitur fuit etiam tibi. At hoc anno non fuit minor æſtus(quemadmodum & 1556,cuius æſtum nemo Aſtrologus præſenſit) nulla tali pręcedente eclipſi. Nam quæ hoc anno minima fuit, eam nihil aut perparum ad nos pertinere, cũ cæteris Aſtrologis omnibus, quorum

iudi-

iudicia vidi,tu quoq; in Ephemeride,niſi vehementer fallor;affirmaſti.

Queſo te,cum eclipſis ſolis aliud nihil ſit,quàm ereptio luminis & caloris per interiectionem Lunæ, quo pacto æſtum creabit? Tale eſt hoc,ac ſi dicam,cæcum acutius viſurum, aut qui clauſos habet oculos,aut abſentẽ magis eſſe præſentem. Ariſtoteles in. 12. ſect. probl.2. cum de Iride loquitur,quam aliqui odoris cauſam ponebant, ſic ait: τὸ δὲ αἴτιον κατὰ συμβεβηκὸς τῇ ἴριδι ἀποδοτέον, ἄλλωστε καὶ εἰ μή ἐστι τὶς φύσις ἡ ἶρις, ἀλλὰ τῆς ὄψεως πάθος ἀνακλωμένης. Sanè minus eſt reuera aliquid eclipſis,quàm Iris,aut certè ſimiliter,vt conſideranti vtriuſq; naturam patet. Multò ergo magis erit per accidens cauſa, quemadmodum ſuprà dixi, quam iris:aut ſaltem non magis erit cauſa belli, quam Iris cauſa odoris.Eſt enim mera & ſimplex priuatio,atq; ita belli cauſa,vt abſens Nauta ſubmerſionis nauis. Fortè per eclipſim putas Solis vim augeri , vt in oculis clauſis ſpiritus multiplicari ſolent. Sed malè hoc putas.Soli nec accedit nec decedit aliquid ex iſta Lunæ interpoſitione. Nobis hoc accedit,quod interea lumine ipſius caremus. Cum redit,non aliud nec aliter,redit quàm antè nobis adfuiſſet.

Illud magis miror,quòd eclipſim Solis anno 44. viſam belli Germanici , quod biennio pòſt erupit, cauſſam fuiſſe ſcribis.Bellũ tantũ quãtũ Germania multis retrò annis nõ vidit,ab eclipſi,quæ tanto antè tẽpore euanuerat, excitatũ credam? Perinde hoc eſt,ac ſi dicam te biennio poſt mortẽ tuam , artem Medicam maiore vi & doctrina publicè docturum viua voce,quàm viuus docueris. An tu naturalem cauſſam agere aliquid poſſe cenſes, cum non eſt in rerum natura amplius ? Si Bellantium hanc rem explicantem legiſti,& extremam abſurditatẽ nõ animaduertiſti,eſt quod meritò admirer.Nemo ferè eſt,qui non huius belli cauſſas multò veriores norit,quàm cœlum illud veſtrum Aſtrologicum.Tu ipſe,puto,non ignoras hoc bellum multis retrò annis, atq; adeò ante eclipſim cogitatum, conſultatum, inſtitutumq́; fuiſſe.Occaſio rei iam antè cogitatæ non ante ſe obtulit. Hanc ab eclipſi datam non dices, ne ſi plum-

Gg

beus quidē ſis.Non puto te veras & proximas cauſſas,atq; ipſos etiam authores antè eclipſim neſciuiſſe. Saltē remota à memoria noſtra adducere debebas, ſi minus vanitatem conſpici deſiderabas.Hæc ad ea,quæ ad duos meos articulos(ſic vocas tu)reſpondiſti,refellenda ſatis eſſe iudi-dicaui.Ad tertium venio,de quo ita ſcribis.

Super tertio,quo nos etiam terrefacis, dicam, Aſtrologos nihil habere, in quo ſibi metuant à thelogis & Imperatoribus magis,quā Medici habēt,qui viti oſas inclinationes referūt ad infelicia tēperamenta. Nec lædere poſſunt religionē magis quā reliqua Phyſices partes Hactenus tua recenſui.Tu in prioribus literis dixeras Baſiliū, Auguſtinū,& Imperatores quoſdam ideo dānaſſe Aſtrologos,quòd propter abuſus aliquos,ſiue quia aliqua ex parte viſa ipſis Aſtrologia fuiſſet ſacrarū literarū dignitatē imminuere.Ego cōtrà oſtēdi,nō partē aliquā ſolū,ſed omnino totā eos dānaſſe Aſtrologiam.Quòd ſi propter abuſum totam ipſos damnaſſe cōcederes, vt cōcedere videbaris,ex Pico argumentabor hoc pacto:Aut rectè fecerunt,quòd totā propter partē ſiue abuſum reiecerūt,aut non rectè.Si prius,decet vos exēplum ſequi,& totā negligere.Si poſterius,probandum id vobis erit. Non facilè autē in ea re erraſſe omnes vetuſtos Theologos probari poterit,in qua omnes conſenſum habuêre.

Ad hęc tu ne verbū quidem reſpondes.ſed ad priora aliquid dicere conatus es. Vt aūt videas antiquos totā damnare,Tertulliani tibi, quē,cum hæc deſcriberem,prę manibus habebā,audi ſic ſcribētē: *Quas artes*(loquitur de Aſtrologia,Aruſpicina,Augurio & Magia) *vt ab angelis deſertorib. proditas,& à Deo interdictas, ne ſuis quidem cauſſis adhibent Chriſtiani.* Tantum abeſſe,ait,vt de Imperatoris euentu per has artes aliquid præſcire deſiderent Chriſtiani, vt ne in ſuis quidem priuatis rebus prænoſcendis illis vtantur? Cauſſam manifeſtam addit, quia ſunt à Dæmonibus proditæ, & à Deo interdictæ. Locum inuenies in Apologet. aduerſus gentes,cap.36. Si illuſtriora teſtimonia videre cupis, Auguſtinum atque alios lege,quos hoc loco citare non eſt opus.Sauonarola quædam produxit. Qui plura

cupit

cupit, apud ipſos autores inueniet. Non adduxi autem hæc vt terrerem quenquam, ſed vt non rectè affirmare te oſtenderem, Baſilium, Auguſtinum, Imperatores totam propter partem ſiue propter abuſum execratos fuiſſe.

Ad tua redeo, in quibus argumenti vim non volo examinare, ſed rem expendere. Videris autem hoc velle, ſi Aſtrologia damnata ſit, quia doceat cœlum nos ad peccandum flectere. Medicinam eadem ratione damnandam, quæ temperamenta nos huc impellere doceat. Conſequentia falſa eſt, quia nihil ſimilitudinis inuenitur inter Medicorum & Aſtrologorum ſententias. Qui mediocriter Sacras literas vel inſpexit ſolum, infinitum diſcrimen cernit. Quis neſcit hominem, cum liber eſſet, ſua ſponte peccaſſe, & peccãdo peccati ſeruum fuiſſe factum? Vix iam veſtigium priſtini & diuini ſplendoris in eo reliquum cernitur. Et hæc omnia merito ſuo patitur, quod Dæmoni magis, quàm creatoris ſui voci preceptoque parere voluit. Flectitur & impellitur ergo iam homo à ſua natura, quia ſerua facta eſt peccati. Talis autem à Deo facta nequaquam fuit, ſed à peccato quod ſponte admiſit, huc miſeriæ deducta eſt. Pœna eſt peccati iſta ad peccandum propenſio inclinatioq;.

Quòd ſi Deus ne naturam quidem noſtram talem fecit, vt nos ad præuaricandum impelleret, quomodo cœlum ita factum eſſe ab eo rectè cogitemus, vt nos neſcientes incitet aduerſus pietatem & honeſtatem? Medicina ergo nihil à Sacris literis alienum docet, cum pro temperamentorum ratione inclinatam hominis naturam ad ſcelera exponit, quantumuis huius infelicitatis cauſſam non norit. Sed ne pertinet quidem ad ipſam huius rei & cauſſæ inquiſitio. Philoſophorum potius munus fuerit, qui peruidere natura duce nunquam originem tanti mali potuerunt. Antea quàm primi parentes noſtri peccaſſent, natura non erat, ſicut iam eſt ad peccata prona & facilis. Nec à cœlo etiam impellebatur ad tranſgreſſionem.

Digitized by Google

Poſtquam verò peccarunt, & ingenium naturamq; hanc in nos transfuderunt, propendemus huc toti, non aliunde, quàm ab innata nobis malicia impulſi. Cœlum per peccatum hominis mutatum nō legimus. Quare ſicut ante peccatum iuſſa creatoris faciebat, nec ad peccandum tamen hominem inclinabat, ita ne nunc quidē inclinat. Et poſſet ſanè homo excuſare ſe Deo, ſi à cœlo ad flagitioſe faciendum incitaretur. De ſua carne queri naturaq; non poteſt, propterea quòd hanc ſibi peſtem vltrò contra Dei præceptum accerſiuit Hoc Baſilius voluit, ad cuius argumentū tu reſpexiſſe videri potes, cum hæc ſcribebas. Puto te iam intelligere, quàm non ſit argumentum ſolutum tua iſta euanida reſponſione de Medicina & Phyſica. Siue hoc, ſiue aliud ſpectaris, parū refert, modò quod res eſt intelligas.

Verboſius iſta expoſui, quàm fortè conueniret, non tamen quàm res apud Aſtrologos flagitaret, qui ne illa quidem intelligunt, quæ ſatis dilucida alijs videntur Præcipuè me mouit, quòd te id quod maximè cupiebam, & tibi facile fore aiebas, non præſtaturum ſuſpicor ac metuo. Argumenta ſuſpicionis nō leuia in hiſce mihi literis præbuiſti. Cœlum quomodo vniuerſalis cauſſa ſit, & quòd particularis fieri non poſſit aliter, quàm per cōiunctionē particularis cauſſæ, perſpicuè expoſui. Deinde etiam quæ & quot requirantur, vt experientia nos aliquid cognouiſſe rectè affirmemus, ſimiliter oſtendi. Poſtremò Medicos nihil diſſonum à ſacris literis & Philoſophia docere declaraui, adeoq; demonſtraui malè te hac in parte has ſcientias Aſtrologiæ comparaſſe, quæ tota falſa, impoſsibilis, impia, & à Deo interdicta eſt, ut cùm Lex, tū Tertullianus loquūtur. Tuum erit iſta legere, ponderare, & quæ vera eſſe perſpexeris, amplecti. Vale. Febr. menſe, Anno Domini 1559.

RERVM

RERVM ET VERBORVM in T. Eraſti epiſtolarum libros, Index.

A

Abuſus aſtrologiæ non excuſat aſtrologiam 43

Accidens ab accidente noſcitur. 148

Abſurda ē maioris huius inficiatio, quòd ſolus Deus futura contingentia intelligat, quia omnem præſcientiam tollat, non eam tantum quæ ex aſtris ſumitur 19

Ad generationem fœtus quæ concurrere ſit neceſſe. 150

Aeris mutatio ſub exortum Pleiadum, Arcturi, non ſine ratione expectatur ſimilis: quia partim ad ea quorū cauſæ iam agere incœperunt. 20

Aer obſcurus hyeme. 120

Affectus quid Galeno. 38

Agricolæ quos dies obſeruent. 2

Anaxagoras Aſtrologus qualis. 183

Agricolæ vbertatem vt præuideant. 77

Anaxagoras primus cauſam luminis, lunæ & vmbræ ſcriptis mandauit. 61

Alia mens Galeni de diebus decretorijs.

ἀλλοίωσις οὐκ ἐςὶ αἴσθησις. 15.36

Alterationem non eſſe ſenſibilem, eiuſq́ argumenti refutatio 38

Alterationem non eſſe affectum 36

Animi noſtri ab actione ſiderum non patiuntur 96

Alterationem eſſe ſenſibilem. 37

Alteratio non dicitur, niſi ſenſibilis fiat. 36

Antiqui vt morbos prædixerint. 106

Animalia quæ generantur luna noua non viuunt, aut fiunt imbecilla 113

Antiqui tempora anni iuxta ortus & occaſus ſyderum deſcripſerunt 92

Aetatis noſtræ medici clariß. non ſunt Aſtrologi 88

Aeſtus cauſæ 190

Aeſtate cur pauciores pluuiæ ac venti. 199

Argumentum quo probatur effectum eſſe ſenſibilem, eiuſq́ confutatio. 27

Arcturi ortus principium autumni 92

Ariſtoteles de cœlo diſputans, proprias cauſas inueſtigat. 131

Ariſtoteles optimum Philoſophum, bonum ait Medicum. 23

Ariſtotelis ſcientia qualis, qua hunc inferiorem mundum à ſuperiori gubernari dixit 215

Ars quid 145

Ars diuinandi ad præſagia pertinet 59

Artis præceptiones quales. 178

Artifices verſantur circa contingentia 145

Artifices in ſua arte non poſſunt prædicere futura, niſi cauſas proximas agentes videant. 19

Aſtra non ſunt particulares cauſæ ſublunarium. 130

Aſtra quomodo humectare poßint. 103

Aſtra vt cauſa dicūtur inferiorum, cognoſci non poßunt. 172

Aſtra modo generali tantum cauſæ rerum omnium 28

Aſtrolabij vſus. 131

Aſtra per accidens cauſæ ſunt effectrices caloris ſubterranei 121

Aſtra tempeſtates pariunt per accidēs, & per ſe, præcipuè autem ſolis & lunæ. 122

Aſtra particulares inferiorum cauſæ cēſeri debent. 172

Aſtrologorum doctrinæ. 2.22

Aſtrologiæ vocabuli acceptiones. 185

Per Aſtrologiæ vocabulū Aſtronomia

accipitur 2
Aſtrologiam in Græcia nemo ante Galenum docuit 65
Aſtronomiæ commendatio, Aſtrologiæ deriſio. 165
Aſtronomica præcepta ab aſtrologicis diſtinguuntur. 180
Aſtrologi non prædicunt futura ex veris cauſſis. 154
Aſtrologicum eſt vaticinari ex obſeruatione ſiderum, non Aſtronom. 131
Aſtrologia nihil mathematicum habet. 182
Aſtrologia quid differat ab Aſtron. 125
Aſtronomia non excludenda à Philoſophia. 14
Aſtrologica vaticinia Medicorum & nautarum ſunt longè diuerſa. 200
Aſtrologia vt Aſtronomia Platonis tẽpore in Græcia floruit. 60
Aſtrologica prædictio. 168
Aſtrologia exercentibus Medicinam nihil commodat. 30
Aſtrologia Aſtrologorum alia, qua ruſtici & nautæ vtuntur. 64
Aſtrologi non vt Medici & Nautæ, ex effectis poteſt prædicere. 200
Aſtrologia à Doctis ſimpl. pro mala habetur 205
Aſtrologia Galeno falſa. 87
Aſtrologi diuinãt de effectibus per accidens euenturis. 151
Aſtrologia non conducit ad morbos præuidendos 106
Aſtrologia non Medico vtilis eſſe, & ſi detur tempeſtates cognoſcere. 104
Aſtrologia neque ad rationem victus, neque ad futuros morbos præuidendos conducit. ibid.
Aſtrologia an ars. 177
Aſtrologiam futilem probant Theologi philoſophici 175
Aſtrologia non eſt ars 155.178
Aſtrologia neque vera neque ars. 253
Aſtrologia non eſt donum Dei. 105
Aſtrologia arte caret. 134
Aſtrologia damnata eſt ab antiquis cũ patribus, Patriachis, Imperatoribus. Philoſophis & Medicis, tum ipſis S. literis 163.177
Patribus 234
Imperatorib. Iureconſultis. 132.205
Ariſtotele, Auicenna, Gal. 53.182
Aſtr. rectè ab his dãnata 207.206.234
Aſtrologia cur damnata. 167
Aſtrologia diuinatrix reprehenditur hoc loco ſaltem. 59
Aſtrologia poſt Hipp. tempora ex Aegypto in Græciam eſt translata 60
Aſtrologi cauſas affectuum veras non obſeruant 156
Aſtrologorum prænotiones futurorum præſciri neſciunt. 170
Aſtrologia conſiderat fictitias ſyderum vires. ibid.
Aſtrologi figurationes cæleſtes aiunt agere, priuſquã ex rerũ natura ſunt ſublatæ. 51
Autores pro Aſtrologia, Bellantius, Raphael 172
Aſtrologi verſantur circa affectus particulares. 145
Aſtrologi verſantur circa futura cõtingentia 13
Aſtrologi inepti. 165
Aſtrologia naturalis, quæ motus coniunctiones obſeruat, non eſt μαντικὴ 160 Secunda ratio cur Aſtro. natulis 181. Tertia ratio Aſtrologiam naturalẽ probans 182. Quarta ratio quid aſtrologia naturalis. 186 Quinta ratio 187. Sexta ratio. 188
Aſtrologia μαντικὴ non continetur ſub naturali doctrina. 130
Aſtrologi pollicentur, quod præſtare non poſſunt 13
Aſtrologia naturalis 130
Aſtrologia aduerſatur rationi & Phyſicis principiis. 1
Aſtra ſunt ſublunarium cauſæ generales

les ordinis & diſpoſitionis effectrices cauſæ 14
Aſtrologi dum ex arte futura cognoſcere volunt, ſibi arrogant quod ſolius eſt Dei 10
Aſtrologus ſeu μάντις 154
Aſtra quo rerum omnium cauſæ 25
Aſtra ſi ſunt omnium cauſſæ, & hominis leonisq́ ſunt cauſſa 25
Aſtra ſi ſunt vniuerſales tantum cauſæ, Galeni ratio eſt fluxa 27

B

Baſilius & Auguſtinus de Aſtrol. 205
Bellorum cauſſæ veræ 230
Bellantij inepta vaticinatio de Sauonarola 208
Bellantij prædictio de morte Sauonarolæ 174
Bellantij calumnia aduerſum Sauonarolam virum pium ibid.
Bellantius occiſus ab hoſtibus 210
Bonus medicus intelligit criſim in ſtatu & initio 89

C

Calor natiuus actum dat aſſumptis, vt hoc quod à natura facere apta ſunt, facta efficiantur 212
Calor ſubterraneus copiã ſpirituũ generat, ex quibus lapides metallaq́ oriuntur 119
Calor extenuans & rarefaciens duplex 117
Calor ſubterraneus quando fortiſſimus & qualis 117.118
Calor attenuat elementa, materiam meteororum 117
Caloris in terra incluſi vis & imbecillitas qualis 118
Cauſa cõmunis nihil futurorũ docet 139
Cauſa indefinita neceſſaria eſt ad præſcientiam 137
Cauſæ vniuerſales quid 145
Cauſæ vniuerſalis officium 146
Cauſarum diuiſio 35
Cauſa communis quid 138
Cauſæ per accidens plurimæ inter effectum cœli, & horum quæ in terra fiunt 86
Cauſa intellectui nota vt præſciri faciat effectus 155
Cauſæ naturales effectus ſuos per accidens etiam inducunt 148
Cauſa proxima facit vt ſit res 146
Cardani iudicium de Luthero quale 74
Cauſæ dierum decretoriorum quærẽdæ ſunt non ex motu Lunæ, ſed ex agẽtis cauſæ natura 18
Cauſæ naturales & particulares effectus ſuos producunt per accidens. 151
Cauſæ remotæ effectum non poſſumus prædicere 135
Cauſæ rerum particularium omnium 147
Cauſas ratione præditas docet Ariſtoteles ibid.
Cœlum quæ efficiat 142
Chymia impoßibilia docet 179
Chriſtianis non eſt integrum dies obſeruare, quia Deus prohibuit 1
Cœlum & aſtra cauſæ ſunt horum inferiorum generales 204
Cœlum vniuerſalis cauſa ſublunarium 27
Cœli quid per ſe, quidq́ per accidens faciant 141
Cœleſtia corpora non agunt in hæc inferiora vt cauſa proxima 36
Cœlum ſingulis actum dat, vt vnumquodque agat, ad quod agendum eſt natum 14
Cœleſtia ſunt generationis & alterationis in his inferioribus cauſæ, ſed non cauſæ particulares 112
Cœlum an tempeſtatum cauſſa exiſtat. ibid.
Cœleſtia quid in hæc inferiora faciant 47

Digitized by Google

Cometarum ortus 190
Cometarum materia & ortus 197
Cometarum mora diutina 198
Cometa ſequitur motum materiæ ſuæ 195
Cometarum motus 191
Cometæ duratio vnde 190
Cometarum in ventos reſolutio 199
Cometarum motus vt regulares 155
Cometæ quomodo peſtem ſignificent 198.199
Cometæ non ſignificant princip ũ mortes aut peſtem venturam 197.199
Cometa vtrum ſignũ ſit interitus principum 200
Confutatio ratiocinationis, cœlũ & aſtra ſunt generales cauſæ horum inferiorum: ergo ex ipſorũ aſpectu poſſunt futura contingentia prædici 15
Contingentia quid 45
Cognitio futurorum Deo tribuẽda 158
Conſtitutio Hippocratis non ſignificat aeris temperiem 157
Contingentia à contingentibus oriuntur 156
Contingentia futura quæ 18
Coniunctiones aſtrorum nõ diu durãt, quo fit vt effectus imbecilliores edant 101
Contingentia quotuplicia 45
Contingentia habent cauſas 56
Contingentia non carent cauſsis 21
Contingentium principia 151
Cõſtantinus capitis pœna afficit eos qui aſtrologos conſulunt 206
Criſis futuræ expectatio 12
Cor omnibus partibus actum contribuit non eſſe 211
Corporis partes à corde vires vitamq; accipiunt 15
Criſes in medicina indicantur non ex aſtrologia, ſed pulſibus, acceſsionibus & alijs ſimilibus 54
Criſim futuram quis intelligat 68
Criſium cauſæ nõ poſſunt intelligi, niſi iam effectum producere cœperint 55
Criſis particularis non poteſt prædici niſi iam fiat 56
Criſis ſola medica arte cognoſcenda rectè Gal. 55
Cuius rei cauſa Gal. tertium Decret. ſcripſerit 28

D

Deus ſolus futura contingentia intelligit 19
διαβάλλειν 42
Diſcrimen inter peritum Med. & rudem. 12
Dierum decretoriorum propoſitũ 32
Dies decret. quomodo poſsint motui lunæ aptari 17
Dies Critici Medico ſunt obſeruandi 23
Dies obſeruatorij vani ſunt, nec habet in natura cauſam 20
Diuinatio aſtrologica nõ eſt naturalis 12
Duo ſcribendi genera ſunt 10

E

Eclipſis quid 233
Eclipſium cauſa Græcos longo tempore poſt Anaxagoram latuit 61
Eclipſis quomodo cauſa ſit æſtus 232.233
Eclip. animos Principum non poteſt inducere ad belligerandum 231
Effectus particulares per accidens eueniunt 145
Effectus eſt, etiamſi nondum ſenſibilis ſit 36
Effectus refertur ad efficientem cauſam 37
Effectus à cauſis neceſſarijs & contingentibus quales 146
Effectus accidentarij non poſſunt cognoſci 151
Effectus pro opere non poteſt ſumi 38
Effectus pro affectu abſurdè ſumitur. ibid.
Ephemeridum ſiue Calendariorum examen 183

Eudoxus

Digitized by Google

Eudoxus Cnidius Aſtron. non Aſtrol. calluit 187
Eudoxus Aſtron. in Græciam tranſportauit 64
Ex Animalium geſtibus tempeſtates prædicimus 92
Ex motu lunæ non poteſt Medicus coctionem morbi, ſtatum futurum intelligere 87
Experientia quid 40
Experientia confirmatio ſenſuum 26. 27.39.40
Expectatio felicis diei, ſæpe occaſionem bene agendi amiſit 22
Ex quibus rebus Medicus morbos futuros prædicat 107.110
Exhalationes non trahuntur à ſideribus 122.123
Exemplum, quo declaratur quomodo Medici futura præſentiant 19
Exemplum quo Gal. in 3. decret. vtitur, Aegyptiacum eſt 15

F

Falſæ opiniones imbibitæ excæcant 58
Falſum eſt, nullam alteratione͂ eſſe ſenſum 36
Fortuna quid 147
Futura contingentia quid 20
Futura contingentia non poſſunt ex cœlo prædici 3.11
Futurorum cognitio quid Gal. 74
Futurorum cauſæ ſunt ignotæ 46
Futura Aſtrologica nulla arte prædici queunt. 160
Futura qua talia, non ſunt præſentia 155
Futura non niſi in cauſa poſita intelliguntur 154
Futura ex ſignis conſtare, quæ in Medicina præſciuntur, Gal. rationibus probat 79

G

Galeni menſis ficticius 2
Gal. diſputatio in lib. de diebus Decretorijs philoſophica eſt no͂ Medica 85
Gal. quid de tertio Decret. ſenſerit 30.31
Gal. in tertio Decret. aſtroligizatus eſt 41
Gal. propter 20 diem lib. Decretoriorũ ſcripſit 16
Gal. dies decretorius eſt viceſimus, non viceſimus primus 20
Gal. negat Hipp. cauſam criticorum lunam ponere 63
Gal. primus cauſſam dierum Decret. lunam poſuit 33
Gal. non cogit vt. 3. Decret. addiſcatur 44
Gal. rectius in reliquis lib. dies Decret. docuit, quàm in com. dierum Decret. 18
Gal. autoritas ad confirmandos criticos non ſufficit 17.23
Gal. contra aſtrologos 44.53
Gal in arte facienda non adhibuit aſtrologiã 21.24.32.41.43.49.51.58. 66.67. *Ite͂ rationes quib. conficitur Gal. aſtrologia in medendo no͂ etiã vſum. Prima* 51.84. *Altera* 51 *Tertia* 52. *Quarta* ibid.
Gal. præcepta alijs ſequenda, ipſe imitatus eſt 70
Gal. ex arte med. non aſtrol. præuidit futura circa ægros 80 *vſque ad* 82
Gal. quomodo criſim ante triduum præuiderit 72.76
Gal. in curando & præſagiendo præſtantiß. 73.74.
Gal. criſeos horam & diem prænouit. 74
Gal. ex quibus euentus præſciri doceat 76.83.
Gal. adſcriptus eſt lib. de decubitu ægrorum 66
Gal. in lib. præſagiorum nullam fecit mentionem aſtrol. 72.82
Gal. tãtũ in 3 Decret. aſtrol. meminit 2
Gal. futurorum præſenſionem docuit accuratè 71
Gal. aſtr. inter vates collocauit 76.82

Digitized by Google

Gal. mathem. diuinatio aſtrologica eſt 84
Gal. aſtrol. aut aliã vatidicam artẽ medicinæ non coniunxit 85
Gal. ſe vatem negat 82
Gal. non fuit aſtrologus 48
Gal. quomodo aſtrologica ſcripſerit. ibid.
Gal. aſtronom. non aſtrol. queritur negligi 54
Gal. tantum tres futuræ pluuiæ modos nouit 91. 95
Gal. in tertio decret. nihil de tempeſtatum prænotione docuit 95
Gal. & Ptolemæus coæui 64
Gal. vocabulo ἀνάδεξεως non ſemper in proprio ſignificato vſus eſt 24
Græci ab Hipp. vſque ad Gal. tempora aſtrologiam ignorauerunt 64

H.

Hippocrates doctrinam ſublimium & ſubterranearum rerum incertam dixit 61
Hip. Aſtrologiæ nunquam meminit 60. 69
Hip. non uoluit Medicum ortum ſiderum obſeruare 61. 110
Hip. per anni tempora quid intellexerit 110
Hip quid ſiderum obſeruatio 92
Hip. tempeſtatum mutationes vnde norit 90
Hip. non fuit ſtudioſus Aſtrol. diuinationum 2
Hip. Gal. Auicenna Aſtrolog. deſpexerunt 3
Hip. Medico futuro Aſtronom. neceſſariam voluit 93
Hip. quid per ſidera intellexerit 109
Hip. & Gal. in medicationibus ſiderum aſpectus poſitionesq; non obſeruarunt 4. 59. 63. 66. 69
Hip. & Gal. aeris mutationes in prænoſcendis, iudicandis, & curandis morbis obſeruarunt 2
Hip. integram rationẽ præſagiendi tradidit excepta pulſuum doctrina 59
Hip. ex indicijs & ſignis quæ in corpore ſunt prædixit 60
Hippocrates in libro de aere, aquis, &c. nihil Aſtrologicum voluit docere 107
Hippocrates quomodo ex ſiderum ortu & occaſu futuros morbos ciuitatis alicuius præſentiri poſſe docuerit. 93
Hipp. & Galenus artem præſagiendi integrè docuerunt 124
Hippocrates & Galenus eandem præſagiendi methodum habuerunt 69
Hippocrates quid per conſtitutionẽ anni intelligat 108
Hippocratis & Galeni dogmata cur in tanta exiſtimatione 75
Humectatio fit tribus modis 103
Humectari nihil poteſt ſine humidi corporis acceſſione ibid.

I.

Ignis natura 139
Indiuidua accidentibus tantum differunt 148
In lectione authorum ad concluſionem, non ad locum propoſitionum reſpiciendum 168
In libris de criſibus omnia quæ faciunt ad decretorios, eorumq; cauſas docuit Galenus 44
Iuſſus qui ineſt in rebus cunctis quid 117

K.

Kaltnortheim miraculum, atq; eius expoſitio 118

L.

Liber de decubitu ægrorum ſpurius eſt, non

non Galeni 34 45
Luna non poteſt in corpore contingens aliquid præſignificare 75
Luna 7. & 14. die quadratum habet aſpectum: ergo tum efficaciſſima 25
Luna res quaslibet afficit, at pro natura tamē eius quem afficit, effectus producit non ſimul in omnibus agit 24
Luna æquè in omnes res agit, itaq; vniuerſalis cauſſa 57
Luna criſium vniuerſalis cauſſa 56
Luna quare non poteſt temporum diſcrimina ſimilia efficere 101
Luna prout ſe habet, ita & humores in ſublunaribus habent 112

M

Maior propoſitio quæ 168
Math. ſcientiæ & aſtrologicæ diſcrimen 124
Mathematica circa quæ verſetur ibid.
Math. non naturalis quæ 43
Martianus Galeno infeſtus ibid.
Martianus Galen. cauillatus eſt. ibidem.
Medicus non debet præſagire, quod idiotæ iam intelliguat 108
Medicus quo pacto de futuris diſſerat 12
Medico nō eſt neceſſaria aſtrologiæ cognitio, quia decretoriæ dies non à motu lunæ pendet 23
Medico futuro quæ facienda 107
Medici præſtantiſſ. ſine aſtrologia artem exercuerunt 47
Medicinam & aſtrologiam nihil habere ſimile 235
Medicina non præſagit ex aſtris, ſed ex illis quæ iam eſſe comperuit 171
Menſis medicinalis 28
Menſis medicinalis fundamentum. ibid.
Menſes ſi apud omnes ijdem eſſent: Hip. non feciſſet mentionem aſtuæri 92.93
Memoria quid 40
Memoria non gignitur ex eadem re ſæpe eodem modo factæ. ibid.
Memoriam ſenſus non confirmant. ibid.
Medici & nautæ quomodo obſeruent dies eoſdem 19.20
Metalla in montibus fœlicius proueniunt 193
Minor propoſitio quæ 168
Modus alter præſentiendi tempeſtates, boreas. 92
Morbi non facti inditium nullum 12
Motus cauſſa eſt dierum, dies effectus motus lunæ 17
Murium & ranarum generatio ſecundum Bellantium qualis 216
Mutationes inferiorum non fiunt à ſtellis 169
Mutationes in ægris fiūt vi morbi aut naturæ aut vtriſq; 75

N

Naturalis vocabuli ſignificatio apud aſtrolog. 159. 167
Natura morborum iudicatrix ac medicatrix 26
Natura quomodo criſim faciat, & medico cognoſcenda 67
Natura criſium cauſſa propinqua. 56
Natura criſim efficit pro humorū qualitate & quantitate 26
Nautarum exemplum quomodo ipſi tempeſtates præuideant 77
Nautæ & agricolæ nō ex ſiderum conuerſionibus, motibus vt affectibus tempeſtates futuras præſagiunt, ſed ex aeris affectionibus 3
Neceſſaria eſt concluſio, quæ ex veris principijs deducitur 15

Digitized by Google

Nihil fit ſine cauſa efficiente 55
Non omnis affectus ſenſilis 38
Noticia affectuum in corporibus ex indicijs, quæ in corpore ſunt cognoſcēda 76
Nugari & fallere non idem 29
Nullum futurum pathema à Medicis poteſt præſentiri, niſi iam eo in corpore ſit 78
Nulla contingentia arte continetur. 170
Nulla poteſt dari experientia, qua ex contuitu ſiderum aliqua fieri probetur. 15

O

Obſeruatio quid 40
Onomatia qualis 192
Qui calor innatus cauſa eſt pulli 218
Omnes aſtrologi ſunt vates 82

P

Particularis cauſæ acceptiones ſecundum Bellantium 216
Particularibus effectibus communis quædā natura eſt, quod per ſe ſit 152
Particulares effectus per accidens ſunt tales 147
Particulares effectus præuideri nō poſſunt 153
Per accidens tales, quales ſumus generamur 150
Picus & Manardus aſtrologiam diuinatricem damnarunt 132
Philoſophi munus 1
Philoſophis aſtrologi quid 165
Phyſiognomia Hip. 127
Phyſicus non ſumit motum & lumen ab aſtrologis 182
Phyſici propria eſt motus & lucis diſputatio, non aſtrologi 182
Plato ſtellas oēs beneficas voluit 187
Planetæ non retrogrediuntur 260
Pluuia, nix ex vaporibus & exhalationibus 117
Pluuiæ vnde generentur 98
Porphyrius de ſignificatione cometæ 65
Præceptum tria debet habere 180
Præcepta aſtrologica non ſunt ex effectis orta 219
Præcognoſcere quid 71
Prædictiones medicorum, nautarum, ruſticorum & Aſtrologorum quomodo differant 153
Prædictiones ex ſole quæ 142
Propter quod vnumquodque tale eſt, illud magis tale eſt, explic. 96
Prudentes medici, nautæ, ruſtici vt futura prædicant 155
Ptolomæus aſtronomus præſtantiſſimus fuit, non philoſophus 14.21
Ptolomæus aſtrologus ante eum aſtronomi 185
Ptolomæo quis bonus aſtrologus 130
Puer non accipit à cœlo ingenium, ſed à temperatura 137

Q

Quare Hippocrates tēpora anni iuxta ortum & occaſum ſiderum deſcripſerit 95
Quare æſtate aer non tot exhalationibus repleatur 121
Qualis vis vniuerſalis cœleſtium corporum exemplo cordis docet. 36
Quæ per accidens fiunt, contingenter fiunt 170
Quæſtio vtrum Galen. in medendo ſola arte medica vſus ſit, an aſtrologiā adhibuerit 67
Quæ per accidens fiunt, eorum nec ars eſt, nec ratio 179
Quid Aſtrologiæ vocabulo intelligendum 3
Qui aſtrologiæ fidem habet, neque medicus neque philoſophus eſt 1
Quomodo cœlum vniuerſalis ſublunariū cauſā exēplis declaratur 210.232
Quomodo medicus de morbo aliquo prædicere poſſit 20
Quomodo ex falſis ſuppoſitis vera concludantur 192
Quod propoſitum ſit ſcribendi 11

Quomodo

Digitized by Google

Quomodo alteratio ſenſus 39
Quòd diſputatio Galeni de diebus decretorijs ad artis opera nihil faciat 16
Quòd dies critici ad lunam referendi ſint, & 7. cum 14 ſint Critici 25
Quòd Aſtrologia falſa ſit ratiocinatio 9
Quòd medico motus lunæ non ſit neceſſarius ad criſes menſtruas cognoſcendas 23
Quòd vnam rem altera magis mouet, poteſt eſſe cōmunis et vniuerſalis 57

R

Rhabarbarum bilem purgat 26. 228
Ratio quare Galenus viceſimum diem criticum poſuerit 2
Rationes actionum omnium rerũ non poſſunt dari ex corporum temperaturis 204
Ratiocinatio, qua probatur aſtrologica vaticinia inania eſſe 144
Ratiocinatio Galeni ex 3. Decret. aſtra cauſas eſſe mutationum quæ fiunt 25
Raciocinatio, qua aſtrologiam falſam probatur 175
Ratiocinatio falſa experientia eſt, obſeruatio rei eodem modo ſæpe factæ: ergo eſt ſenſuum confirmatio 40
Ratiocinatio quòd aſtrologi futura cõtingentia non norint, repetita ex ſuperiori epiſtola 18
Ratiocinationes, quibus probatur ante Galenum in Græcia nihil aſtrologicum eſſe ſcriptum 65 argumentum tertium ibid. argumentum quartũ ibid.
Res quælibet agunt pro ſua natura, quã accipiunt à ſuis ſpeciebus 114
Res ab illius cauſis generantur, quibus miſcentur 157
Reſponſio ad Martiani criminationes 31. 32. 42 eiusq; refutatio 42
Romanenſium medicorũ in Galenum calumniæ 81
Ruſtici & nautæ prædicunt futuras tẽpeſtatas, at non ſunt Aſtrologi 91
Ruſtici & nautæ prædicunt ex luce lunæ & imagine, non vt ex cauſa ibid.

S

Sententia Galeni in 3. Decretoriorũ 33
Scribendi duo ſunt genera 11
Senſus apud philoſophos tria ſignifi. 39
Sauonarolæ liber publicatus 2
Senſus in pati quodam conſiſtit 39
Senſio eſt alteratio ibid.
Senſio paßio ibid
Sydera vniuerſales cauſæ 221
Sydera vniuerſalißimæ cauſæ ſunt rerum 157
Sidera non attrahunt exhalationem à calore ſubterrareno generato, vt tẽpeſtas fiat 122
Sidera non poſſunt ſemper eundẽ effectum producere 99
Sydera coniuncta potentiam Solis minimè adæquant 101
Sydera quomodo particulares cauſæ poſſint fieri 216
Sydera non agunt ſemper eodem modo in corpora 97
Sidera per ſe non efficiunt aut ventos aut pluuias 98
Sydera terrenis dupliciter actum largiuntur 188
Siderum aſpectus nihil facit ad tempeſtates 123
Si 7 & 14 ſunt critici, quia tunc lumẽ lunæ augetur, 9 & 11 ſunt magis 26
Singularia fiunt quæcunque fiunt 148
Similitudo de pulſibus & aſtrologia claudicat 47
Syllogiſmi ad quas figuras referendi. 169
Si tempeſtates ex lunæ facie cornuta, rutila, obſcura aut pallida iudicatur, non ad meteora iudicium pertinet 3
Si motus lunæ quorundam ſaltem dierum cauſa eſt critica; quæ cauſa erit 7. & 14. dies vt decret. ſint 17

Digitized by Google

Si motus lunæ efficit, vt quidam dies decernant, alij verò non: omnes ſunt decretorij 17
Situs loci ad ventum quomodo morbos edoceat 110
Sol aerem nō eodem modo calefacit 97
Sol quomodo actiones adiuuet 15.117
Sol ſerenitatis & tempeſtatū cauſa 122
Sol tantum calfacit 143
Sol nō agit aliter, ſed alio modo agit 222
Sol non dat rebus ſuas naturas, ſed tantum excitat vt pro ea faciant 114
Sol efficit æſtatem, diem 142
Sol cauſa quare ſubterraneus calor augeatur & minuatur 122
Sole ad nos accedente frigus in profundum propellitur 122. rurſumq́; à nobis diſcedente calor frigus propellit ibid.
Solius Dei eſt futura cōtingentia intelligere 5.12
Subterraneus calor neceſſarius eſt ad exhalationes generandas 121

T

Tempeſtatum generatio 117
Tempus quod obſeruātur in cædendis lignis, habet rationem & cauſam in natura 20
Terræ motus è ſpiritibus collectus 119
Teſtimonia ex Galeno, quòd nunquam vſus ſit Aſtrologia in medendo 31.32
Thales Mileſius aſtrologus 183
Theologi aſtrologiam damnant 132
Triplex vocabuli naturalis ſignificatio, quarum neutra aſtrologiæ conuenit 159
Tetragonæ & diametrales ſtationes in principijs bonis bonas alterationes, in malis malas faciunt 15

V

Vates & aſtrologi nunquā vera prædicunt in morbis 82
Vates Romæ non potuerunt de ægris prædicere 76
Vapores vnde generentur 117
Vnde cometæ ſigna mortis principum ſint conſtituta 200
Venti quidam regionibus & locis quibuſdam proprij 120
Venti à montibus ferè nunquam diſcedunt ibid
Victus ratio non mutanda ob aeris rationem futuram 105
Vigeſimam diem Decretoriam poſuit Galenus 28
Vniuerſalis cauſa quid 57
Vniuerſali ex cauſa nihil certi de particularibus deduci poteſt 17
Vires aſtrorum vniuerſales poſſunt deprehendi, at particulares non 26
Vniuerſalis cauſa non poteſt particularis fieri 216
Vnus calor & idem diuerſorum generatorum cauſa eſſe poteſt 214
Vtrum Galenus in medendo vſus fuerit aſtrologia 41
Vtrum eclipſis ſolis bellum mouere poteſt 229
Vtrum Hippocrates lunam criticorum cauſam voluerit 63

Ἀστρολόγοι ἀεὶ ψεῦσται. Τέλος.

Digitized by Google